DUODECIM ARTICULI
TESTAMENTI CHRISTI JESU CRUCIFIXI.

TOTIDEM EXHORTATIONIBUS EXPOSITI,

AD SODALES CHRISTI IN CRUCE AGONIZANTIS, IN MENSTRUIS CONGREGATIONIBUS.

AUCTORE,

R.P. PHILIPPO KISELIO
Fuldenſi, è Societate Jeſu.

BAMBERGÆ,
Sumptibus JOANNIS ARNOLDI CHOLINI.
ANNO M.DC.LXX.

Digitized by Google

Digitized by Google

TESTAMENTI JESU CRUCIFIXI.

ARTICULUS I.

Sive

EXHORTATIO I.

IN CONGREGATIONE AGONIÆ. MENSE JANUARIO.

Et hoc illis à me teſtamentum, cum abſtulero peccata eorum.

Rom. 11. v. 27.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

PRimum articulum hujus teſtamenti, conſtituunt ſuprema Chriſti verba, *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum*; quibus Patri tanquam hæredi, tradit theſauros omnium precioſiſſimos, ſuam animam, ſuum amorem, & omnes homines; ut illius exemplo, ſodales agoniæ, in primo articulo ſui teſtamenti, inſtituant hæredem Jeſum Crucifixum, & ſpiritum ſuum in ſanguineas ejus manus, commendent.

§. 1. *Morituri ſolent condere teſtamentum.*

§. 2. *Idem fecit Chriſtus D. in cruce.*

§. 3. *Apoſtrophe ad ſodales, ut audiant illius articulos.*

§. 4. *Primum articulum conſtituunt ſuprema Chriſti verba, Pa-*

ba; Pater in &c.

§.5. *Vocula hac ſpiritus ſignificat. 1. animam. 2. amorem.*

§.6. 3. *Spiritus ſignificat omnes homines, ſive id quod aliquis amat.*

§.7. *Anima noſtra, fuerunt cor, theſaurus, & anima Chriſti.*

§.8. *Qua compaſſione Mater Ieſu ſtans juxta crucem, exceperit hac verba, Pater in manus tuas &c.*

§.9. *Sodales agonia ſecundum exemplar Chriſti D. tempeſtive condunt teſtamentum.*

§.10. *Suadet pium uſum hujus oratiuncula, pater in manus tuas &c.*

§.1. Morituri ſolent condere teſtamenta. CUm dives aliquis in urbe moritur plerumque multus ſolet eſſe ſermo; an pinguem reliquerit hæreditatem, quinam ſint hæredes, num condiderit teſtamentum; quinam ſint ejus articuli; S. Scriptura in V. T. ſæpius facit mentionem, feciſſe id Patriarchas. Sic Gen. *Gen. 49. 1.* 49. Jacob dixit ad filios ſuos, præſertim cum Joſeph acceſſit ad patris lectulum, *congregamini, ut annuntiem qua ventura ſint vobis*; & poſtquam ſingulorum benedictiones enarraſſet, finitis mandatis, quibus filios inſtruxit, *collegit pedes ſuos ſuper lectulum, & obiit.* Verſus 1. cap. 33. Deuter. ait: *Hac eſt benedictio* *Deut. 33. 1.* *qua benedixit Moſes filiis Iſrael ante mortem ſuam.* Tobias cum mori vellet cap. 4. *vocavit ad ſe Tobiam filium ſuum, dixitque ei:* *Tob. 4. v. 2.* *audi fili mi, verba oris mei, & ea in corde tuo, quaſi fundamentum conſtrue:* legere ibi poteſtis articulos pulcerrimi teſtamenti.

Soleo ſodales amantiſſimi, ut ſcitis, frequenter vobis *§.2. Idem fecit Chriſtus D. in cruce.* revocare in memoriam trihorium crucis, & agoniam Chriſti in illa morientis. Sodales itaque, cum ſint filii Chriſti crucifixi, merito quærere poſſunt, num moriens in cruce reliquerit aliquod teſtamentum; cui quæſtioni reſpondere videtur S. Paulus, cum ad Rom. cap. 11. ait, in perſona Chriſti; *Cum abſtu-* *Rom. 11. v. 27.* *lero peccata generis humani,* id eſt, cum redimam illos, cum propterea fundere debebo ſanguinem meum, cum mihi trihorio pendendum erit in cruce, cum inter anguſtias mortis, moriendum erit, *hoc illis à me teſtamentum*; hæc mea erit ultima voluntas; ſed quænam mi Jeſu Crucifixe?

Con-

Digitized by Google

Congregamini, ſodales mei cariſſimi, ut annuntiem vobis, quænam ſuper vos ſit benedictio Jeſu crucifixi! audite filii mei, verba oris mei in ſequentibus exhortationibus; & ea in corde veſtro, quaſi fundamenta conſtruite: potius, audite ultima verba oris ejus; audite articulos illius teſtamenti, audite quinam ſint hæredes, & quam amplam divitemque hæreditatem nobis poſt mortem ſuam reliquerit. Idem teſtamentum regula & norma nobis erit, ſecundum quam noſtrum condere debemus, ſi pie & ſancte ad ſanctam mortem nos volumus præparare.

§. 3. *Apoſtrophe ad ſodales ut audiant articulos Teſtamenti Ieſu morientis.*

Primus itaque articulus ſic ſonat; *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum.* Nemo cogitet, quale initium? nunquid hæc verba fuerunt ultima, quæ in agone ſuo, ſuper lectulum ſacroſ. Crucis, protulit, & cur ponuntur primo loco. Sic eſt; ſuprema Chriſti D. fuerunt verba; verum, quia hæres, qui in illis ponitur, eſt perſona nobiliſſima, perfectionis infinitæ, prima in ſacroſ. Trinitate Perſona, Pater cœleſtis, & quia ſimiliter legatum, id eſt, ſpiritus & anima Chriſti, infinitæ eſt excellentiæ, merito, verba illa Chriſti D. *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum*, conſtituunt primum articulum illius teſtamenti. Qui moritur eſt filius Dei, qui Patri ſuo cœleſti, pro legato tradidit animam ſuam.

§. 4. *Primum articulum conſtituunt ultima verba Chriſti in cruce; Pater in manus tuas &c.*

Pro majori intelligentia advertendum eſt, voculam *ſpiritum* varia ſignificare. Tob. 3. idem eſt, quod anima hominis; ſic ait Tobias, *Iube in pace recipi ſpiritum meum.* Hoc ſenſu Chriſtus D rem omnium precioſiſſimam, quam habuit poſt divinitatem, animam ſuam legavit Patri. Secundo S. Paulus ad hebr. c. 12. per ſpiritum intelligit, amorem, caritatem, dilectionem, ſuavem, benignum, qualem habuit *novi teſtamenti mediator* Jeſus, cujus ſanguis *melius loquitur, quam ſanguis* Abel Hoc ſenſu Chriſtus moriens patri ſuo legavit infinitum ſuum amorem, ex quo pro homine in cruce fuit mortuus itaque primi articuli, vel illorum verborum, *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum,* hic eſt ſenſus, Pater tu ſcis, quam amem te. ſcis præterea, quam amem homines, ex amo-

§. 5. *Vocula hæc ſpiritus ſubinde ſignificat animam hominis. 2. amorem.* *Tob. 3. v. 6. Hebr. 12. v. 24.*

Digitized by Google

re hoc, hic pendeo, (eſt locus pro p. affectu pungunt me ſpinæ, & gaudeo, quia amo, &c.) hic amor, theſaurus meus eſt; quia omnia conſummata ſunt, & jam mori debeo illum trado tuis manibus.

§. 6. *3. Spiritus ſignificat omnes homines.*

3. D. Athan. orat. de Incar. Chriſti, ſic ait, *cum in cruce dicit, Pater in manus tuas depono ſpiritum meum; in eo omnes homines apud Patrem deponit, ac commendat per ipſum, ac in ipſo vivificandos, membra enim ſumus, & membra iſta multa unum corpus ſunt. Omnes igitur in ſe Deo commendat.* Hoc ſenſu moriens Jeſus non ſolum animam ſuam, non ſolum amorem ſuum, ſed etiam noſtras animas, quas adeo dilexit, in manus Patris commendavit. illo fructu, quem advertit Theophyl. hic. *Hac autem voce, primum libertatem aſſecutæ ſunt animæ noſtræ; diabolo poſt hanc, nullam in eas habente poteſtatem, utpote patri commendatas. Ante mortem Chriſti magnum jus fuit diabolo in animas. A quo autem tempore Filius paternis manibus commendavit ſpiritum, libertatem conſecuti ſumus ab inferno.* Sodales amantiſſimi, perpendite bene precium animarum veſtrarum quas Jeſus moriens tanti fecit, ut poſtquam ſanguine ſuo illas redemit, veluti theſaurum cum anima ſua tradiderit cœleſti Patri. Confirmemus quæſo hunc articulum ultimæ voluntatis Chriſti, agnoſcamus nos hæredes; & in agone noſtro aliquando nullum erit jus diabolo in animas noſtras; in manibus Dei erimus tuti, & liberabimur ab inferno.

§. 7. *Anima noſtra fuerunt cor, anima & theſaurus Chriſti D. Pſ. 21. v. 21.*

Non poſſum, quia addam verba P. Caſp. Sanctii, quibus explanat mentem S. Athanaſii; *Ex ſententia S. Athanaſii, Chriſtus homines ſuam appellat animam, aut ſpiritum. Quod faciunt vulgares amatores qui quos amant, cor ſuum, & animam ſuam appellant.* Quid blandius dici poteſt? Cum Sanctio videtur ſentire P. Lorinus qui illud pſ. 21. *Erue à framea Deus animam meam,* ita legit, *Erue à framea Deus homines.* Sodales mei, confirmemus hunc primum articulum Teſtamenti Chriſti Crucifixi &c. puto enim contigiſſe, quod S. Laur. Juſtin. l. de triumph. Chriſti agone dixit, de inclinato Chriſti morientis capite; id inquam ego dicam de ultimo verbo Chriſti; his voculis, hac bre-

Digitized by Google

brevi, ſed ferventi oratione, affectuoſa hac obſecratione, cum lacrymis & valido clamore, Jeſus moriens, *liquefecit viſcera Patris ad miſericordiam, flexit ad gratiam, inclinavit ad indulgentiam.*

§.8. *Qua compaſſione Mater Ieſu ſtans juxta crucem exceperit hunc articulum teſtamenti Filii ſui.*

Viſcera vero ſive cor aſtantis matris ad intimam compaſſionem; de qua Greg. Nicomed. ſer. 8. de doloroſa Virgine ait; *Conſummato horrendo myſterio,* (p. cum tandem in fine trihorii) *cum tremore Deipara audivit, terribilem vocem illam, qua ſpiritum in manus patris ſui commendavit,* ut hæc *auribus percepit, viditque* (pathetice hoc, filium ſuum mori) *parum abfuit, ut ne vita cum Filii ſanctiſſima anima migrans, paſſionem omnino compleret.* Sed ſtetit mater juxta crucem reſumptoque animo, hunc articulum teſtamenti, filii ſui, veluti teſtis, confirmavit, dicens in corde ſuo: ita pater, & ego animum filii mei, ſpiritum ejus, ejus amorem; cum illo totum genus humanum in manus tuas trado & depono. Et ſic æternus pater hæreditatem ſuam adiit, recipiendo in manus ſuas animam Filii ſui, & cum illa totum hum. genus.

§.9. *Sodales agoniæ ſecundum exemplar Chriſti morientis, tempeſtive condunt teſtamentum.*

Chriſtus D. in cruce moriens, exemplar noſtrum eſt, ſive regula, ſecundum quam ſodales agoniæ ad ſanctam mortem diſponere ſe debent. Hoc ſit noſtrum teſtamentum, ut in primo ſtatim articulo, hæres noſter ſit Chriſtus crucifixus: legatum vel aliam hæreditatem à nobis non exigit, quam animas noſtras, & noſtrum amorem. Amor erga Deum & Jeſum Crucifixum, theſaurus noſter eſt, quem exigit. Ut primum articulum hujus teſtamenti quotidie confirmetis, familiarem vobis reddite hanc oratiunculã, pater, vel mi Jeſu, in manus tuas commendo ſpiritum meum. Id eſt, mi Jeſu, veniet hora, cum in agone terribilis dæmon oppugnabit animam meam, quam tu creaſti, quam tu redemiſti; ut nullum in illam illi ſit jus, mi Jeſu in tuas manus illam depono, *Pater in manus &c.* id eſt, precioſius nihil habeo, quam quod te amem; amo item proximum meum, & omnes homines, mi Jeſu omnes commendo tuis manibus.

§ 10. *Suadet pia*

Dicenda autem ſunt hæc verba cum ſublimi quadam reſigna-

uſum hujus oratiuncula, pater in manus tuas commendo ſpiritum meum.

ſignatione, ad moriendum, quoad omnes circumſtantias, ubi? quando &c. in quo nobis ſerviet ſenſus Patris Cornelii, ſuper illa verba, *Pater &c.* putat enim Chriſtum D. voluiſſe dicere, præſertim dum caput inclinavit, ecce pater! officium legationis tuæ in terram, mihi commiſſum cum fide peregi; opus, quod impoſuiſti mihi, perfeci, curſum meum conſummavi, feci & paſſus ſum pro ſalute hominum, quæcunque voluiſti; ſupplex ergo poſtulo ut des mihi licentiam moriendi, ac per mortem abeundi è terra, & redeundi in cœlum. Ita pater! hoc volo &c. O ſi quotidie ſic & nos oremus &c. quam ſanctè nos parabimus ad ſanctam mortem.

TESTAMENTI JESU CRUCIFIXI

ARTICULUS II.

Sive

EXHORTATIO II.

PRO CONGREGATIONE AGONIÆ. MENSE FEBRUARIO.

Et hoc illis à me teſtamentum.

Rom. 11. v. 27.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

ALterum Articulum conſtituunt verba illa Chriſti D. in cruce, *Mulier! ecce filius tuus!* quibus hæredem nominavit Matrem ſuam; legatum ſive hæreditas fuit S. Joannes Evangeliſta, cum omnibus Electis.

§.1.*Bre-*

Digitized by Google

§.1. *Brevis repetitio prioris Exhortationis, ſive, primi Articuli Teſtamenti, Ieſu morientis in cruce.*

§.2. *Maria mater Ieſu illi morienti aſtitit, cum ingenti dolore.*

§.3. *Et modo, quem ipſa revelavit perſona ſanctæ.*

§.4. *Chriſtus D. de cruce ad matrem ait, mulier!* Ecce filius tuus.

§.5. *Tenerrimo amoris affectu erga S. Ioannem, & omnes Electos; quos matri, tanquam Haredi legavit.*

§.6. *Quare Chriſtus Dominus in cruce dicatur vidiſſe S. Ioannem, non Magdalenam.*

§.7. *Commendavit matri S. Ioannem & Electos, veluti ſe ipſum.*

§.8. *In quo Chriſtus D. matrem ſuam valde honoravit.*

§.9. *Apoſtrophe ad Sodales agoniæ.*

IN prioris menſis Exhortatione, primum articulum Teſtamenti quod Chriſtus D. Salvator noſter in cruce moriens condidit, vobis propoſui. Legatum illius articuli fuit ſanctiſſima ejus anima, ſive ſpiritus, ſive objectum amoris ſui, quod fuerunt animæ omnium electorum, quæ à patre cœleſti ab æterno illi traditæ fuerunt quas proinde moriens eidem quaſi reddidit, tanquam hæredi, præcipui ſui theſauri, & curæ amantiſſimi patris commendavit. illis verbis, *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum*. Jam nuper inſinuavi, verbum hoc, ut loqui & canere ſolemus, fuiſſe, ultimum; conſtituere nihilominus, articulum primum, eo quod hæres in illo nominatus ſit pater cœleſtis, qui infinita excellentia, reliquos omnes hæredes, longe antecedit.

§.1. Brevis repetitio prioris Exhortationis vel. primi articuli, Teſtamenti morientis Ieſu.

Luc. 23 v. 26.

Patri dignitate proxima eſt, benedicta Jeſu morientis mater, ſtans juxta crucem, unde etiam filius in ſecundo articulo ſui teſtamenti ejus meminiſſe voluit. De matre ſtante juxta crucem ait S. Auguſtinus ſer. 8. de paſſ. Domini. *Iuxta crucem ſtabat Maria, conſiderans vultu benigno Chriſtum pendentem in crucis patibulo-amplectens crucem, ruens in oſcula ejus, qua parte ſanguinis Chriſti unda rigabat.* Fare pia mater, refer Sodalibus Agoniæ Filii tui morientis! & qua parte ſacroſ. Crucem ſanguis ille copioſius rigavit? ex quibus

§.2. Maria Mater Ieſu, illi morienti aſtitit cum ingenti dolore.

Digitized by Google

vulneribus copioſior fluxit unda? num benedicti capitis? num manuum? num pedum? vos animæ piæ, ſi in oratione verum quæritis ſolatium, & teneram devotionem, hæc conſiderate; triſtis Mater præ ingenti dolore, multis quæſtioni noſtræ reſpondere non poteſt. Nam (Ernaldus apud allegorias Tilmanni.) *Pectus maternum, immanitate doloris arctatur, ſuſpirat intrinſecus, & erumpentes revocat lacrymas; & eo amplius anxietas intumeſcit, quo egredi prohibetur. Denique formido imperabat dolori ſilentium, & urgentium Iudæorum torvi oculi illos turbines ſuffocabant.* Ipſa, perſonæ ſanctæ in pia revelatione, de ſe retulit ſequentia.

§.3. *Modo, quē ipſa revelavit perſona ſancta.* Videbam mori, quem diligit anima mea, & tota liquefiebam præ doloris anguſtia. Aſpiciebat & ipſe benigniſſimo vultu me Matrem plorantem, & me voluit paucis verbis conſolari. Sed ipſa conſolari non poteram, ſed flebam dicens: fili mi! fili mi! quis dabit ut moriar pro te? moritur Filius, cur tecum non moritur Mater? S. Bernardus hæc addit: *O Ieſu! tu mihi Pater, tu mihi ſponſus, tu mihi filius, tu mihi omnia eras.* Nunc orbor patre, viduor ſponſo, deſolor prole, omnia perdo. O fili mi! quid ultra faciam? quo me vertam? quo vadam, dulciſſime Nate? quod mihi erit ſolatium?

§.4. *Chriſtus D. de cruce ad Matrem ait, mulier ecce filius tuum.* Cum talia cogitaret triſtis Mater, cum ita gemeret plorans turtur, Chriſtus in cruce aperiens os ſuum illi dixit: *Mulier! ecce filius tuus!* q.d. Mulier, noli flere; dulciſſima Mater, non te deſero, tuus ſum, tuus ero omni tempore ſæculi. Tempus eſt, ut revertar ad eum qui miſit me; & quo ego vado, tu non potes venire modo, venies autem poſtea. Interim pro ſolatio, tibi tanquam poſt patrem meum, hæredi amantiſſimæ, relinquo theſaurum, quem diligo; Ecce diſcipulum meum, ecce Joannem, ecce hic filius tuus erit; neque ipſe erit ſolus; ſed omnes electi, pro quibus hic pendeo, pro quibus ſanguinem fundo, pro quibus animam meam trado; filii tui erunt.

§.5. *Tenerrimo amoris af-* Meditantur SS. Patres, quam tenero affectu amoris, erga S. Joannem & omnes electos, Chriſtus Dominus in hoc ſecundo

cundo articulo ſui teſtamenti, matrem nominarit tanti theſauri, hæredem. Inter piiſſimas cauſas, ob quas Salvator noſter moriens, inclinato capite tradidit ſpiritum ſuum Joannis 19. & quod non cœlum ſuſpexerit, ſed triſtes oculos potius in terram inclinarit, hæc quoque affectu plena eſt. In terra, in monte Calvariæ, & quidem juxta crucem erat dulciſſima mater Jeſu, ad cujus ulnas inclinatus, oſtendit, volupe ſibi fore inter brachia illius mori; verum quia de cruce deſcendere noluit, ſaltem, *inclinato capite ad illam* (D. Philibertus Abbas l.1. in Cant. c.25.) *tradens ſpiritum obdormivit*, & moriens matri dixit, *ecce filius tuus.*

fectus erga S. Ioannem & omnes electos Matri, tanquam Heredi legavit.

§.6.
Quare Christus D. in cruce dicatur vidiſſe Ioannem, non Magdalenam.

Piiſſima ex his pullulat quæſtio; cur S. Joannes c.19. dixerit: *Cum vidiſſet Ieſus matrem & diſcipulum ſtantem.* An non etiam vidit S. Magdalenam, & alias fœminas, quæ Chriſtum ſecutæ fuerunt uſque ad crucem? quare Joannes ſolus poſt Mariam occupavit oculos Jeſu. Reſpondeo cum S. Petro Chryſologo, paucis ſyllabis immutatis ſer. 78. *Primus* qui (præ cæteris) diligitur, *videtur; quia ſemper amoris oculus acutius intuetur.* S. Ambroſius l. de Joſeph, *conſuetudo & gratia caritatis eſt, ut dilectum, & oculis & ſermone teneamus.* D. Philibertus Ab. l.2. in Cant. cap.13. *Habet quippe ſibi familiare vis amoris, ut cum aliquem illexerit affectus vinculo caritatis, illum excitet, ut de eo quem diligit loquatur gratioſa*- ut libenter videat faciem ejus, præſertim ſi *affectus ſit tenerior.* Talis fuit amor Chriſti pendentis in cruce erga Joannem, & in ipſius perſona erga omnes electos; dum moritur, oculos in illum conjecit; dum agonizat, de illo loqui voluit; dum expirat, oſtendit theſaurum ſuum, objectum amoris ſui eſſe Joannem, quem proinde matri ſuæ, tanquam hæredi, tradit & commendat.

§.7.
Commendavit matri Ioannem & filios adoptivos, veluti ſe ipſum.

Majorem adhuc vim amoris, Chriſti D. erga Joannem advertit Origenes t.1. in Joannem, ubi ſuper citata verba ex cap.19. S. Joannis; *Cum vidiſſet Ieſus matrem & diſcipulum ſtantem, quem diligebat, dicit matri ſuæ, mulier, ecce filius tuus.* ait Chriſtum D. ſic vocaſſe Joannem filium Matris ſuæ, quaſi ipſe jam deſiiſſet, & Joannes converſus fuiſſet in Jeſum; ideo, Jeſus

matri dicit, *Ecce filius tuus, non, quaſi filius tuus*; *profectò ſimile dixit, ut ſi dixiſſet, ecce hic eſt Ieſus, quem generaſti*. Non quidem ſecundum carnem, ſed gratiam.

§. 8. *In quo Chriſtus D. Matrem ſuam. valde honoravit.* Quem modum loquendi in Origene videtur legiſſe Arnoldus Carnotenſis de laud. Mariæ. *Hoc ſtupendum eſt quod exſpiraturus Ieſus, matrem tanto affectu honoret, ad matrem de cruce convertitur, & colloquitur, intimans ei, quanti apud eum, meriti eſſet, & gratiæ. Matrem illo puncto reſpexit, cum jam vulnerato capite, foſſis manibus & pedibus in ultimis eſſet.* Sed quinam fuit ille affectus tenerrimi amoris in moriente Filio erga matrem? quisnam ille honor, quo illam affecit? quænam illa gratia, quam moriens illi exhibuit? quisnam ille theſaurus, quem teſtamento illi legavit? Reſpondet cit. auctor. & D. Anaſtaſius Sinaita l. 9. Examer. Dicendo in cruce. *Mater ecce filius tuus*; Matrem fecit *Adiutricem, quæ parit filios vitæ, & hæredes gratiæ æternæ.* Guilh. Abbas apud Delrium, *ſiquidem per hoc*, quod in Incarnatione concepit, & in ſtabulo Bethlemitico, Filium Dei genuit, *facta eſt verbi mater corporalis.* Sub cruce verò, omnium membrorum filii, ſive omnium electorum, *facta eſt mater ſpiritualis. Per hoc quod caput noſtrum ſecundum carnem concepit, membra ejus lacte alenda ſuſcepit.* ideo ergo Chriſtus D. illi dixit, ecce filii tui, ego paſco ſanguine; paſce tu, tanquam mater lacte miſericordiæ. Et ita (Arnold. Carnot. tr. de laud. Mariæ.) diviſerunt *coram patre inter ſe, mater & filius pietatis officia: & miris allegationibus* muniverunt *redemptionis humanæ negotium, & condiderunt inter ſe, reconciliationis noſtræ inviolabile teſtamentum.* Maria ſpiritu ſe immolavit; Filius carne, pater condonavit. Inhæreo diutius affectuoſiſſimæ materiæ, & piiſſimo diſcurſui.

§. 9. *Apoſtrophe ad Sodales Agoniæ.* Gratulor amantiſſimis meis ſodalibus, quos ob cauſas peculiares his verbis alloqui poſſum. Vos, tanquam filii Jeſu crucifixi; vos qui peculiari devotione, publice ſingulis menſibus cum Maria & Joanne ſtatis coram Jeſu Crucifixo, ut teſtemini vos eſſe membra hujus congregationis, vos eſtis dilecti, vos acutius videt amor ejus &c. Vos, eſtis hæreditas

magnæ

magnæ Matris &c. Cum Jeſus fuit in ultimis, cum expiraret, vos tradidit ſuæ Matri, &c. Executio teſtamenti Ieſu Crucifixi, pendet ab ardenti oratione; itaque oremes Roſarium SS. Vulnerum, ut ex vi ultimæ voluntatis Chtiſti moriamur aliquando ſanctè.

TESTAMENTI JESU CRUCIFIXI.

ARTICULUS III.

Sive

EXHORTATIO III.

PRO CONGREGATIONE AGONIÆ. MENSE MARTIO.

Et hoc illis à me teſtamentum.
Rom. 11. v. 27.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

TErtium articulum faciunt verba illa Chriſti, ad diſcipulum, *quem diligebat Ieſus, ecce Mater tua!* Hæredes ſunt S. Ioannes, & omnes electi. Legatum ſive hæreditas, Mater Ieſu Maria.

§. 1. *Tertium articulum Teſtamenti, Chriſti D. in cruce morientis, conſtituunt illa verba ad diſcipulum, ecce mater tua.*

§. 2. *Quantus favor, quod Chriſtus D. Ioanni legaverit Mariam, veluti matrem.*

§. 3. *Virginem Virgini.*

§. 4. *Valde illud profuit S. Ioanni. Cur reprobatus fuerit Iudas.*

§. 5. *Pulcer ſenſus Hug. Card. circa hæc verba, ecce mater tua.*

§. 6. *Cur B. V. in monte Calvariæ ſteterit inter crucem, & Aquilonem.*

§. 7. *Oravit efficaciter pro electis.*

§. 8. *Diſcamus à Chriſto Domino ſemper loqui, & cogitare Mariam, præſertim in agone.*

§. 9. *Sine Jeſu & Maria, moriemur infeliciter.*

§. 1. *Tertium articulum teſtamenti Chriſti in cruce morientis conſtituunt illa verba ad diſcipulum, ecce mater tua.*

ARticulum tertium, Teſtamenti, morientis in cruce Jeſu, vobis proponet præſens exhortatio. Legatum eſt, quo poſt Deum nobilius & excellentius excogitari non poteſt, Beatiſſima Virgo & Mater Dei Maria. Hæredes ſunt, diſcipulus quem diligebat Jeſus S. Joannes Evangeliſta, & cum illo omnes Electi, in quorum aureo libro ſpero deſcripta quoque eſſe nomina omnium meorum ſodalium. Filii enim ſumus & Jeſu Crucifixi, & doloroſæ matris, ſtantis juxta crucem; ab illo paſcimur ſanguine, ab hac lactamur lacte miſericordiæ; proinde & hæredes. Hunc articulum, ſive ultimam voluntatem ſuam, in hoc puncto Jeſus moriens paucis his verbis propoſuit; dixit enim diſcipulo, *ecce Mater tua.* Pie obſervavit Arnoldus Carnotenſis tr. de laud. Mariæ, *Chriſtus jam hora appropinquante in Matre amplius quam in ſe pati videbatur*; id eſt ſummum tormentum Chriſti D. in ſuprema agonia fuit dolor matris; econtra, (idem Arnoldus ait) *mater, quæ in faciẽ Filii ſe oppoſuerat, gladio doloris animæ ejus infixus, vulnerabatur ſpiritu, & crucifigebatur affectu; & quod in carne Chriſti agebant clavi, & lancea; hoc in ejus mente fecit compaſſio naturalis, & affectionis maternæ anguſtia.* Nihilominus (S. Ambr. de inſtit. Virg. cap. 7.) *ſpectabat piis oculis Vulnera filii.* Viciſſim piiſſimis oculis illam de cruce reſpexit Chriſtus D. & ut non relinqueret, orbam matrem, alteri filio, S. Joanni illam commendavit. Et S. Joannes, *accepit eam in ſua.* id eſt, ex mente Arnoldi Carn. tr. 3. de verbis Domini, *Ioannes piæ hæreditatis ſuſcepit teſtamentum.* Guar. Ab. ſer. 4. de aſſ. *Inter ultima verba teſtamenti, curam matris, cujus debitorem ſe cognoſcebat, cariſſimo transſcribit hæredi.*

§. 2. *Quantus favor quod Chriſtus D.*

Quis hic poterit exprimere tenerrimum amorem & favorem morientis Chriſti erga dilectum ſuum diſcipulum? Expreſſit aliquo modo ſæpius cit. piiſſimus Arnoldus ſuper hoc verbum,

verbum, *Diſcipulus, qui in Cœna Dominica, cervical ſibi in pecto-re Magiſtri aptavit; qui in illo reclinatorio, vidit; In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, ecce iterum alio privilegio honoratur. Officina illa, in qua verbum caro factum eſt, diligenter à filio illi commendatur. Vices filii naturalis, filius accepit adopti-vus: & transfunditur in miniſtrum filialis affectus, formaturque & firmatur in ambobus pietatis concors complexus, non ex traduce naturæ, ſed ex munere gratiæ*: & per amorem filii erga matrem, & matris erga filium. *Ioanni, veluti hæredi tradiderit matrem.*

Tradendo autem matrem S. Joanni, Virgini, & diſcipulo mundiſſimi cordis, *Matri debitum in cruce reddidit affectum* (Arnoldus) *ſi enim Redemptor noſter* (Petrus Dam. ep. 6.) *tantopere dilexit floridi pudoris integritatem, ut non modo de virgineo utero naſceretur; ſed etiam à virgineo nutritio tractaretur, & hoc, cum adhuc parvulus vagiret in cunis, merito fuit ſollicitus, ut tranſiturus ex hoc mundo ad Patrem, matrem ſuam Virginem in terris traderet curæ S. Ioannis.* § 3. *Virginem, Virgini.*

Et ita S. Joanni peculiaris amoris oſtendit benevolentiam. Cum horrore lego verba Philiberti Ab. l. 3. in Cant. c. 8. quæ ego referre non poſſum, vos non audietis, quin ingrediamur abyſſum divinorum judiciorum circa myſterium prædeſtinationis. Poſtquam agit de ſcandalo, quod Apoſtoli paſſi fuerunt ob captivitatem magiſtri ſui, ait; *Omnes denique tulit aqua, læſit diluvium, culpa merſit: ſed cæteris per gratiam evadentibus, Iudas perditus non emerſit. Ille quippe diffidentia ſuffocatus, laqueato gutture ſe ſuſpendit.* Sed quare? *quia Chriſtus in cruce patiens, curam Iudæ à ſua longe benevolentia relegavit; Ioannem vero diligens curam ejus matri Virgini delegavit.* ex una parte; ex altera *Ioannes arcem gratiæ, vivendi faſtigium apprehendit; accepit eam in ſua &c.* O felices meos ſodales, qui à moriente Ieſu in cruce olim delegati ſunt tutelæ tantæ matris! O felices, qui filii ſunt Mariæ, & ideo illam ut Matrem diligunt; illi evadent ex terribili naufragio, quo in agone noſtro aliquando jactabimur, aderit nobis mater noſtra; ſi modo noſtra ſit &c. Peribunt omnes cum Iuda, qui in cruce à Salvatore no- § 4. *Valde profuit illud S. Ioanni. Cur reprobatus Iudas.*

re noſtro ex hoc articulo teſtamenti excluſi ſunt, qui Mariam non habent pro hæreditate.

§ 5. *Pulcer ſenſus Hug. Card. circa illa verba, ecce mater tua.*

Hugo Card. putat Chriſtum D. hæc quoque verba, *ecce mater tua*, pronuntiaſſe de cruce ad Ioannem inclinato capite; q diceret. *Per ipſam veniam petite; ipſa eſt oraculum miſericordiæ. Nihil enim boni vos vult habere* Pater meus, quod per manus matris meæ non tranſierit. Alii SS. Patres dicunt, Chriſtum cum Maria Matre legaſſe nobis ſimul regnum miſericordiæ, cujus eſt Regina & Mater. Baeza nobilis S. Scr. interpres quærit, eccur neceſſum fuit Mariam ſtare juxta crucem morientis filii; & reſpondet; quia Salvator mundi ibi pro tota Eccleſia ſua tam in cœlis, quam in terris fundanda condidit teſtamentum, ideo voluit matrem adeſſe & conſentire, in illas gratias, quas per ſuum ſanguinem & mortem, electis ſuis promeruit. Chriſtus Dom benedictæ matri ſuæ, moriens, coram innuere voluit, velle ſe, ut ſit impoſterum miſerorum protectrix & auxiliatrix.

§. 6. *Cur B. V. in monte Cal. ſteterit inter crucem & Aquilonem.*

Ob quam cauſam, Rich. à S. Laur. l. 4. de laud. M. putat, non contigiſſe ſine myſterio, B. Virginem ſtetiſſe juxta crucem in certo ſitu. *Adhoc enim ſe interpoſuit cruci, & Aquiloni; ne diabolus ſignatus per Aquilonem, poſſet eos impedire, qui venire vellent per fidem, ad brachia Salvatoris expanſa: ſicut fecit latro dexter &c.* Dum ergo in perſona S. Joannis, Chriſtus D. ad omnes electos dixit. *Ecce mater veſtra*, dicere voluit: filii mei, ſi contingat vos premi ab adverſario diabolo per varias tentationes, præſertim in hora mortis; ſi impedire vos velit, ne confugiatis ad vulnera mea &c Ecce matrem veſtram hanc colite, hanc amate; accipite in veſtra; ego vobis velut hæredibus illam, trado; ego vobis dono, accipite, & de auxilio nolite dubitare.

§. 7. *Oravit efficaciter pro electis.*

D. Amædæus hom. 5. meditatur matrem Jeſu juxta crucem ſtatim approbaſſe hanc voluntatem filii ſui, ut in Incarnatione conſenſit, fieri mater Dei ſecundum carnem, ita ſecundum gratiam, ſub cruce lubens facta eſt mater filiorum adoptivorum, & ſtatim pro iiſdem ſub cruce ardentiſſime oravit.

oravit. *Particeps tam caritatis, quam crucis Ieſu aſſumpſit orationem pro eis.* Sodales amantiſſimi, cum precibus matris veſtræ, veſtras conjungite; Matrem illam compellate itentidem, jam matrem miſericordiæ, jam matrem Jeſu, jam matrem conſolationum, jam matrem bonam & benigniſſimam, jam matrem pulcræ dilectionis &c. hæc ſuſpiria ita vobis reddite familiaria, ut die & nocte, in ſomno & vigiliis, præſertim in hora mortis occurrant.

Exemplo morientis Salvatoris de quo Guar. Ab. ait ſer. 4. de Aſſ. Cæterum cum dilexiſſet eam Jeſus, in finem dilexit eam; ut non ſolum propter ipſam finem vivendi, verum & in ipſam, finem penè fecerit loquendi; dum velut inter ultima verba teſtamenti, curam matris tradiderit Joanni. noluit benigniſſimus Jeſus ad mortem accedere, quin ultima ejus verba, matrem involverent; nobisque proferrent. Nuper inſinuavi Chriſtum D. inclinatione capitis ſui verſus matrem, monſtraſſe deſiderium ſuum moriendi inter ulnas & brachia matris, ſed quia id fieri non potuiſſet, ſaltem ultimos quaſi anhelitus proferre non voluit quin loqueretur de matre. Si hæreditatem noſtram præclaram, ſi Mariam amamus, à Chriſto D. diſcamus ita vivere, ita orare, ita loqui, ita mori; ut dum vivimus, dum morimur loquamur de Jeſu & Maria, ut dicamus dum morimur, cum S. Xaverio, mi dulcis Jeſu! Mater Dei, memento mei.

§.8. *Diſcamus à Chriſto D. ſemper loqui & cogitare de Maria, præſertim in agone.*

Poſtquam Origenes egiſſet de altiſſima ſapientia, & cognitione S. Ioannis, & initio illius Evangelii, in principio erat verbum, pulcre ſubdit, *ſenſum illorum nemo, percipere poteſt, niſi qui ſupra pectus Ieſu recubuerit, vel acceperit à Ieſu Mariam &c.* Hæc ego vobis inculco ſodales amantiſſimi; non moriemini feliciter, niſi frequenter confugiatis ad Vulnera Chriſti, & ſinum Mariæ, niſi hæreditas noſtra ſit Maria.

§.9. *Sine Ieſu & Maria moriemur infeliciter.*

Digitized by Google

TESTAMENTI JESU CRUCIFIXI

ARTICULUS IV.

Sive

EXHORTATIO IV.

PRO CONGREGATIONE AGONIÆ. MENSE APRILI.

Et hoc illis à me teſtamentum.

Rom. 11. v. 27.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

QUartum articulum conſtituunt verba illa Chriſti D. in cruce, *Pater ignoſce illis*: legavit enim ſuis crucifixoribus, tanquam hæredibus, veniam peccatorum, modo voluiſſent converti.

§. 1. *Infinitus fuit amor Chriſti, quod in cruce oraverit pro inimicis, & ita illos quoque inſtituerit hæredes ſui Teſtamenti.*

§. 2. *Per particulam illis, omnes concluſit in Articulo 4. neminem excepit.*

§. 3. *Senſus horum verborum, Pater ignoſce.*

§. 4. *Hæc oratio Chriſti in cruce, ex parte ſua, fuit ſeria & abſoluta, non conditionata, ut illa in monte Oliveti.*

§. 5. *Eandem ſub cruce oravit Mater Ieſu.*

§. 6. *Hæc fuit excellentia amoris Ieſu, quod offenſus ſuos hoſtes, amaverit ardentius; plus ſenſit illorum peccata, quam ſuos*

ſuos dolores.
.7. *Perditio Iudæorum Chriſto D. fuit acerbiſſima.*
§.8. *Orando in his circumſtantiis pro ſuis inimicis, dedit nobis leges patientiæ.*
§.9. *Et normam condendi teſtamentum, ut ſanctè moriamur*

MOris eſt, ut moribundi, amico optimo, id commendent ante omnia, quod maxime diligunt, v.g. mater, marito, unicum filium; maritus, uxori filiam, aut nepotes: ultimæ fere morientium curæ, & verba eo ſolent collimare. Chriſtus D. Salvator noſter, in cruce moriens, hunc ordinem invertit, ultimo enim loco, animam ſuam patri commendavit. ſecundo loco diſcipulum quem diligebat, matri; tertio loco, matrem Joanni, primo vero & ante omnia fuit ſollicitus de ſuis crucifixoribus qui noſtro judicio, potius odio, quam amore erant digni, proinde alta voce, cum initio trihorii, ob exortas repente tenebras, ob motum terræ, tremorem montium, ſciſſuram ſaxorum, inter aſtantes ſub cruce, magnum factum eſſet ſilentium, Jeſus inquam, elevato in cœlum capite & oculis ad patrem cœleſtem exclamavit, *Pater ignoſce illis, quia neſciunt, quid faciant.* Quibus paucis verbis comprehendit Articulum Quartum ſui teſtamenti. Legatum fuit, ſeria voluntas, quantum ex ſe erat, remittendi culpam graviſſimam, conjuncta cum ardentiſſima morientis ad patrem oratione, qua ab illo confirmationem illius voluntatis petivit, dicendo, *Pater ignoſce illis.* id eſt, meis crucifixoribus, quos in meo teſtamento cupio eſſe hæredes, ſummi beneficii, qualis eſt venia & remiſſio, atrociſſimi ſceleris atque peccati.

§. 1. Infinitus fuit amor Chriſti, quod in cruce, primo loco oraverit pro inimicis, & ita illos quoque inſtituerit hæredes ſui Teſtamenti.

Luc. 23. v. 34.

Sed ſare mi Jeſu! hæredeſne vis eſſe Annam & Caipham ſacerdotes, totius contra tuam majeſtatem conjurationis coryphæos? Omnino. An illos, qui te flagellarunt? Volo ex intimo corde, ut Pater meus illis ignoſcat. An illos, qui regium tuum caput coronarunt ſpinis? Omnino. An Pilatum, qui tulit ſententiam mortis: an illos, qui illam immani crudelitate dederunt executioni, trabalibus clavibus pedes, manusque

§. 2. Per particulam illis, omnes hoſtes concluſit, in art. 4. teſtamenti; neminem excepit.

nuſque tuas affigendo cruci? Omnino; ultima mea voluntas; hoc opto, hoc deſidero, dum morior, ut convertantur, ut agnoſcant ſcelus, ut doleant, ut miſericordiam & ipſi implorent, atque ita veniam à Patre meo cœleſti obtineant.

§. 3.

Senſus horum verborum, Pater ignoſce.

O Pater, (dulciſſimo nomine Patris, hunc articulum orditur, ut affectuoſa hac vocula, cor Patris ad miſericordiam potentius emolliat) O Pater ait; ſcio, oro pro peccatoribus, tuis & meis hoſtibus; ſed ſunt opera manuum tuarum, ſunt tui filii, quia tu creaſti eos, nunquid in æternum projicies eos à facie tua in ignes æternos? Tui ſunt, O Pater, ſed & mei, quia meo ſanguine, quia tot doloribus, quia tam atroci morte crucis illos redimo, & quia amo illos, Pater ignoſce illis. Ego ſum filius tuus unigenitus ab æterno, innocens, immaculatus; tu Pater meus es; per dulce nomen Patris, per dulce nomen filii, obteſtor, ignoſce illis; Per hæc vulnera, per hunc ſanguinem, per hanc crucem, obſecro, ignoſce. O Pater! in recompenſationem, quod ſim factus homo, quod fuerim in laboribus à juventute mea &c. ignoſce illis. Gutta ſanguinis mei ſufficit, ut te moveat ad miſericordiam, quam pro meis hoſtibus peto; ecce offero univerſum, imo ultimam guttam ſanguinis precioſiſſimi, qui latet in penetralibus cordis.

§. 4.

Hæc oratio Chriſti in cruce, ex parte ſua fuit ſeria, & abſoluta, non conditionata, ut illa in monte Oliveti.

Matt. 26. v. 39.

Quam ſeria fuerit hæc Chriſti D. oratio, ex parte ſua, ſubtiliter obſervavit S. Cyprianus ſer. de paſſ. in hoc, ait, duplicem fuiſſe Chriſti agoniam; primam in monte Oliveti, in horto Gethſemani; alteram in monte Calvariæ, in cruce; in utraque ardentes fudit preces ad Patrem Cœleſtem, in priori, pro ſe; in poſteriori, pro ſuis crucifixoribus. In prima ſic oravit, *Pater ſi poſſibile eſt tranſeat à me calix iſte. Pater non ſicut ego volo, ſed quod tu vis*. Si fieri aliter non poteſt, bibam illum. q. d. Pater, ſecundum appetitum inferiorem, vellem non mori; ah Pater! averte à me flagella &c. Sed ſi vis, ut moriar, ut cædar flagellis, ut caput meum coronetur ſpinis, &c. volo & ego. Ecce conditionatam orationem, ut loquitur S. Cyprianus; Illa verò in cruce, pro crucifixoribus, fuit abſoluta ex parte ſua, ex corde dixit, *Pater ignoſce illis*. Et ſic conditio verbis illis incluſa, ex parte crucifixorum, ſi convertantur,

Digitized by Google

tantur, adimpleta fuiſſet, veniam infallibiliter obtinuiſſent; prout multi obtinuerunt, qui percutientes pectora ſua, exclamarunt, *vere Filius Dei erat iſte.*

§. 5. Eandem ſub cruce oravit, Mater Ieſu.

Affectu plenum eſt, quod meditantur SS. Patres; aſtanti juxta crucem matri Jeſu, cum hæc verba, ſive orationem filii ſui, de cruce audivit; adeo illam, illi placuiſſe, ut procidens in genua, elevatis oculis in cœlum, eandem ex intimo corde comprobarit, dicendo, cum lacrymis; Ita Pater! quod Filius meus poſtulat, poſtulo & ego, ignoſce pater illis, qui Filium meum flagellarunt, &c. ego, cum Filio meo Jeſu, omnibus ex intimo corde ignoſco.

§. 6. Hæc fuit excellentia amoris Ieſu, quod offenſus, ſuos hoſtes amaverit ardentius. Plus ſenſit illorum peccata, quam ſuos dolores.

Infinitum amorem, quem in hoc articulo ſui teſtamenti, erga ſuos hoſtes exhibuit, ſatis explicari non poteſt. Samſon, offenſus à Dalila, ardentius illam amavit; idem fecit Chriſtus D. Salvator noſter; flagellatus, ſpinis coronatus, conſpectus, reprobatus à Synagoga, nihilominus uſque in finem dilexit illam. Vulnera pedum, manuumq;, & expanſa in cruce brachia, patri pro illis obtulit, qui illa cruci affixerunt; vitam petiit, pro illis, qui mortem intulerunt. Sanguinem ſuũ fundit, pro illis, qui effuderunt, & pedibus conculcarunt. Offert patri cor, plenum amore, pro illis, qui lancea transfixerunt. Lingua erat, pro illis, qui potarunt aceto. Cauſâ meo judicio advertit Arnold. Carn. tr. de 7. Verbis in 1. ubi hanc ponderat circumſtantiam, cum Chriſtus D. in cruce hæc verba protulit, *Pater ignoſce illis*, tunc temporis dolores Jeſu erant acerbiſſimi, ex cruce, & clavis, & ſpinis, & vulneribus, manantes; pro quibus levandis nec verbulum facit, ſed loquitur ſolum de venia exhibenda Judæis. Mi Jeſu! cur non prius petis requiem à doloribus tuis? reſpondet citatus Arnoldus; acerbiſſimos quidem fuiſſe illos dolores, ſed multo acerbiora illi accidiſſe crucifixorum peccata, quæ potius voluiſſet averti; ſic ait: *Parricidalium mentium intuens vota, non tam clavorum acumine, quam illorum crimine pungebatur.* Summus Chriſti dolor fuit, quod excæcatus populus perſiſteret in iniquitate. Et quia amor ejus aliud non poteſt, convertitur ad preces, an à Patre veniam obtinere poſſit.

Digitized by Google

§.7. *Perditio Iudæorum Chriſto D. fuit acerbiſſima.*

De eodem Chriſti D. dolore, ob peccata crucifixorum, dixit in perſona Chriſti Laur. Juſtinianus de Chriſti agone cap. 17. *Plus eorum animas, quam corporis mei magnipendo ſalutem; nam etſi cruciatus quem patior, mihi graviſſimus eſt, eorum tamen acerbior eſt mihi perditio.* Talia loqui, ita orare, pro inimicis, ita ex corde ignoſcere, loqui, non potuit, niſi os, & cor divinum: niſi os & cor Jeſu crucifixi. Ennodius in Vita Epiphanii. *Exigua eſt, apud Deum noſtrum miſericordia, ſi illos tantum læſio non ſequatur, qui reatu carent, culpas dimittere, cæleſte eſt, vindicare terrenum.* Ideo, tam eximius fuit Chriſti D. amor, ut etiam crucifixorum ſuorum, in ſuo teſtamento voluerit eſſe memor; ut illis veluti hæredibus optaverit, veniam peccatorum; & quod deinde ſequitur, hæreditatem regni cœlorum.

§. 8. *Orando in his circumſtantiis, pro ſuis Crucifixoribus, dedit nobis leges patientiæ.*

S. Greg. Nyſſ. lib. de perfecta Chriſtiani forma. Quæ (de patientia loquitur) quot modis in imagine inviſibilis Dei conſpicitur? ubi gladii, & fuſtes, & vincula, verbera, alapis maxillæ percuſſæ, facies ſputis oblita, humeri verberibus traditi, judicium impium, crudelis ſententia; milites, ſubſannationibus, irriſionibus, contumeliis, & calami percuſſionibus, immitem ſententiam per delicias exacerbantes, clavi, & fel, & acetum, & graviſſima quæque ipſi, ſine cauſa, illata, imo vero pro innumerabilibus beneficiis tunc ille, quomodo talia patrantes, ultus eſt. Pater, inquit, ignoſce illis. *Nonne poterat contra eos, ſuperius, vel cælum perfringere, vel ipſos terræ hiatibus abolere, vel dimovere ex propriis terminis mare, & voraginibus terram ſubmergere; vel Sodomiticum ignis imbrem demittere, unico verbo? vel aliquod aliud acerbum ſupplicium irrogare? attamen hæc omnia miti, patientique animo pertulit, vitaque tuæ, per ſe, leges patientiæ dedit.*

§. 9. *Et normam condendi teſtamentum.*

Et normam, juxta quam noſtrum Teſtamentum ordinare debemus, ſi nos diſponere velimus ad ſanctam mortem ut iis, qui nos læſerunt, ignoſcamus ex corde, & ardentes pro illis fundamus preces. Ex dictis facile dilatari poterit Epilogus.

TESTA-

TESTAMENTI JESU CRUCIFIXI

ARTICULUS V.

Sive

EXHORTATIO V.

PRO CONGREGATIONE AGONIÆ.

MENSE MAJO.

Et hoc illis à me teſtamentum.

Rom. 11. v. 27.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

QUintum Articulum continent verba illa Chriſti D. ad latronem, *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo;* quibus verbis latroni & pœnitentibus peccatoribus, tanquam ſuis cohæredibus legavit Paradiſum.

§.1. *Teſtamentum de quo agitur, condidit Chriſtus D. in cruce.*
§.2. *Verbis Chriſti ad latronem nihil dulcius; ob immenſam miſericordiam, quam declarant.*
§.3. *Rara Hiſtoria.*
§.4. *Explicatio particulæ, tibi.*
§.5. *Particula hodie.*
§.6. *Quam bonus & dulcis Jeſus, ferventer oranti.*
§.7. *Et diligenti crucem. Alia Hiſtoria.*
§.8. *Particulæ, eris mecum; cum brevi Epilogo.*

Du-

Digitized by Google

§.1. Teſtamentum, de quo agitur, Chriſtus D. condidit in cruce. Pſ.88. v.4. Baruch. 2. 32. Heb.8. v.6.

Duplicis teſtamenti meminit Sacra Scriptura; Antiqui, legis; & novi, Evangelii; De primo ait Deus per Davidem, pſ.88. *Diſpoſui teſtamentum electis meis*; de altero ait per Baruch cap. 2. *Statuam eis teſtamentum alterum ſempiternum.* Et S.Paulum, ad hebr.8. *Melioris teſtamenti mediator eſt, quod melioribus ſanctionibus ſancitum eſt.* Hoc teſtamentum putant aliqui conditum eſſe à Chriſto Dom. cum incepit prædicare Evangelium. Alii dicunt id contigiſſe in ultima cœna, S.Joannes Damaſc. l.4.c.14. *Cum voluntariam mortem noſtra cauſa ſuſcepturus eſſet, ea nocte, qua ſe ipſum tradebat, teſtamentum novum ſanctis ſuis diſcipulis & Apoſtolis, ac per illos omnibus, qui in eum credunt, inſtituit* & quidem cum ſanctiſſimo Sacramento Euchariſtiæ. Alterius mentis fuit S.Ambroſ. ep.82. *Teſtabatur in cruce Chriſtus, & inter Matrem & diſcipulum dividebat pietatis officia.* De his jam egi in aliquot exhortationibus; In articulo, quem modo vobis proponam, feliciſſimus hæres fuit pius & pœnitens latro, cui Chriſtus D. in cruce legavit paradiſum, his verbis, *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo.*

Luc.23. v. 43.

§.2. Verbis Chriſti ad latronem, nihil dulcius; ob immenſam miſericordiam quam declarant. 1.Tim.1.v. 15.

Quid autem, hoc verbo dulcius? (inquit Joan. Taulerus, de paſſ.Dom.) *ob immenſam miſericordiam Dei, qui malefactorum omnium latronis, tam miſericorditer oblitus eſt; & tam repente ignovit pœnitenti, & apertis largiſſimis gratiæ ſuæ theſauris, beatitudinem æternam ei contulit.* Sic oſtendit, veriſſimum eſſe quod deinde S.Paulus de ſe dixit 1. Timoth. 1. cap. *Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere, quorum primus ego ſum. Sed ideo miſericordiam conſecutus ſum, ut in me primo oſtenderet Chriſtus Ieſus omnem patientiam ad informationem eorum, qui credituri ſunt illi.* Quærunt plurimi, cur hunc latronem in cruce inſtituerit hæredem, cur unus latro, in agone, miſericordiam ſit conſecutus non alter, hæc cauſa mihi maxime placet, ex parte, ut Jeſus in cruce oſtenderet infinitam ſuam miſericordiam, & amorem, etiam erga peccatores.

§ 3. Rara Hiſtoria.

Hiſtoriam admiratione dignam refert Baronius ad annum

Digitized by Google

annum Chriſti 680. num. 56. Bamba Rex Hiſp. adeo dilexit unum ex proceribus, ut proximam cognatam illi dederit in conjugem: hæc filium peperit Ervigium, Regi adeo dilectum ut illi conferret nomen & dignitatem Comitis. Sed ſuperbus & ingratus juvenis eo devenit, ut Regi, tanto benefactori letale inflixerit vulnus. Omitto varias circumſtantias. Ante mortem, Rex hunc Ervigium nominavit hæredem tanti regni. Injuſtitiæ vel injuriæ immemor. Major longe fuit charitas Chriſti Salvatoris noſtri; latronem, & cum illo omnes pœnitentes peccatores fecit hæredes ſui teſtamenti, & paradiſum illis legavit. Hodie mecum eris in paradiſo. S. Ambr. in pſ. 31. *Vberior gratia, quam precatio. Ille rogabat, ut meminiſſet ſui, cum veniſſet in regnum, & Dominus cum nondum veniſſet, & jam regnum cæleſte tribuebat. Quam velox miſericordia! tardius votum precantis, quam remunerantis eſt præmium:* quod promittit, & quidem cum juramento. Amen dico tibi. S. Paulus ad Hebræos. cap. 6. *Abundantias volens Deus oſtendere pollicitationis hæredibus, immobilitatem conſilii ſui, interpoſuit jusjurandum.* Heb. 6. v. 17

§. 4. Explicatur particula Tibi.

Amen dico tibi. *Cui tibi?* (quærit S. Bern. de paſſ. Dom. cap. 9.) *Tibi, qui me confeſſus es in cruce tormentorum.* Tibi, qui tam ſcelerate vixiſti; Tibi, latroni. Tibi, qui fuiſti ſcandalum populo. Tibi, qui uſquehuc pœnitentiam diſtuliſti. Tibi, qui nunc oculos cœleſti lumini aperuiſti; tibi, qui me coram hoſtibus meis, me agnoſcis Dominum, Regem & Deum; Tibi, qui mihi ſocius es in pœnis. Tibi inquam dico.

§. 5. Particula Hodie.

Hodie! q. d. non differam, quod promitto, in longa tempora; non poſt ſæcula, non poſt annos, non poſt menſes; faciam te beatum, *Hodie,* quando cataractæ divinæ miſericordiæ apertæ ſunt, & fontes abyſſi clementiæ, *Hodie,* quando morior in cruce pro mortali genere, quando ſanguinem meum effundo, *Hodie,* quando completur myſterium humanæ Redemptionis, *Hodie,* quando cœlum depluit theſauros gratiarum; *Hodie* inquit S. Auguſtinus ſer. 120. de tempore: *tanquam ſi diceret, quid me O fideliſſime comes, & unicus tanti te-*

ſtis triumphi, quid me tantopere exorandum putas, ut die judicii meminerim tui? quid me ad præſentem retributionem paratum, in tempora tam longa diſſimulas? quid in futura ſæcula fidem in te perfectam fatigas? Hodie mecum eris in paradiſo. Hodie te nomino hæredem teſtamenti ſanguinis & meritorum meorum. *Hodie* mea morte crucis, meis vulneribus, meo ſanguine emam paradiſum. Hodie clavi hujus crucis reſerabo tibi portas regni cœlorum.

§. 6. *Quam bonus & dulcis Ieſus. Ferventer oranti.*

Iterum hic ſuaviter S. Bernardus, cit. *Bonus & dulcis Ieſus: cito exaudit, cito promittit, cito dat. Quis de tam pio exauditore, veloci promiſſore, prompto redditore deſperet?* Si verum eſt, prima fundamenta ſodalitatis agoniæ poſita fuiſſe in monte Sancto, in monte Calvariæ, cum integro trihorio Chriſtus D. agonizavit in cruce, aſtante Matre doloroſa; bene dicere poſſumus primum ſodalem moriẽtem fuiſſe piiſſimum hunc latronem, ut etiam peccatores animentur, ut dicant cum latrone, Domine memento noſtri cum veneris in regnum tuum. Et Chriſtus Dominus ejus preces ſtatim exaudivit. S. Cypr. de cœna Domini. ***Ne deſperarent etiam in ultimis conſtituti, feſtinans adjutorium illico adeſt, & re in arcto poſita, non differt beneficium; ſed repente, indulgentiæ celeris documentum eiſdem ſtatuit, & exemplum, latroni dicens, hodie mecum eris in paradiſo.*** Sodalis hujus Congregationis ſuſpirat frequentiſſime, Domine! memento mei! per tuam mortem &c. memento mei. Nec dubitate, bonus & dulcis eſt Jeſus, cito exaudit &c.

§. 7. *Et diligenti crucem. Alia hiſtoria.*

Sed neceſſe eſt, ut cum Chriſto amemus crucem, ſi hæredes eſſe velimus hujus articuli. Inter multas cauſas, ut ante dixi, ob quas aliqui putant pium latronem conſecutum fuiſſe miſericordiam, etiam hanc afferunt, quod cum converſus Chriſto libenter fuerit mortuus in cruce. Teſte Henrico Avila in hiſt. franc. Henricus IV. Rex Navarræ, cum anno 1590. inſignem de hoſtibus reportavit victoriam, veſpere publice in aperto campo cœnavit, juſſitque ſibi aſſidere omnes belli duces, cum regio hoc dicto; *Qui ſocii fuerunt laboris,*

Digitized by Google

boris, & periculorum, digni ſunt, ut in eadem cum Rege cœnent menſa. Hoc fecit pius latro; quamprimum Chriſtum D. agnovit, gaviſus fuit ſe pati; gaviſus fuit pendere ſe in cruce: & dignus fuit, cui Chriſtus dixit, Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo.

Dulce verbum, dico, dulce verbum, tibi! dulce verbum Hodie; dulce verbum, in paradiſo, dulce verbum eris mecum. Nam? ut S. Auguſtinus ait tract. 51. in Joann. *Vbi male poterat eſſe cum illo, & ubi bene eſſe poterat ſine illo.* Sodales amantiſſimi; deſideratis eſſe hæredes, in hoc articulo Teſtamenti Jeſu Crucifixi? hæc agite. Orate ferventer, amate Paſſionem & Crucem Chriſti &c. Amen dico vobis; Vobis ſodalibus, vobis qui toties oratis Roſarium SS. Vulnerum &c. dico, & promitto abundanter, Bonus & dulcis Jeſus exaudiet vos, promittit paradiſum, & dabit. Amen dico vobis, eritis cum illo, & erit vobiſcum. Et ſine illo, ubi erit vobis bene? Cum illo, ubi erit vobis male? In Medit. cap. ait S. Auguſtinus. *Animant me publicani, & meretrices, qui à faucibus hoſtis momentanee eruti, ſinibus excepti ſunt Paſtoris.* Nos animare hodie poteſt pius latro; Vixit peſſime! ſed converſus ad Chriſtum Crucifixum, uno ſuſpirio, ex contrito corde, momento erutus fuit ex faucibus inferni; eodem momento factus eſt hæres Teſtamenti Jeſu Crucifixi; hic ſuo ſanguine ejus nomen inſcripſit libro vitæ. Animoſe, mei ſodales! (fiat brevis & affectuoſus Epilogus.)

§. 8. Particula, eris mecum cum Epiloga.

(3)

Digitized by Google

TESTAMENTI JESU CRUCIFIXI.

ARTICULUS VI.

Sive

EXHORTATIO VI.

PRO CONGREGATIONE AGONIÆ. MENSE JUNIO.

Et hoc illis à me teſtamentum.

Rom. 11. v. 27.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

ARticulum Sextum conſtituit quartum verbum à Chriſto D. in cruce prolatum, *Sitio!* legavit nobis veluti hæredibus infinitum meritum ſuæ ſitis in cruce, ut nos evadamus ſitim æternam, in ignibus inferni.

§. 1. *Verbum Sitio conſtituit Sextum Articulum Teſtamenti Ieſu Crucifixi.*

§. 2. *Sitiens David fuit figura ſitientis Ieſu in Cruce.*

§. 3. *Cum Chriſtus D. de cruce dixit ſitio; convertit oculos ad aſtantem Matrem. Quid ipſa in corde reſponderit.*

§. 4. *Varia fuit ſitis Chriſti in cruce. Prima Naturalis.*

§. 5. *Altera fuit, ſitis ſalutis Animarum.*

§. 6. *Tertia caritatis, & deſiderii patiendi plura, & longiori tempore.*

§. 7. *Crudelitas Iudæorum, qui ſitienti Ieſu obtulerunt fel & acetum.*

§. 8. *Spongia, quæ prius fuit madida ſanguine Ieſu. Affectuoſus locus.*

§. 9. *Devotio S. Columbæ erga ſitim Chriſti.*

§. 10. *Epilogus.*

In Ex-

Digitized by Google

§. 1.
Verbum Sitio, conſtituit 6. Articulum Teſtamenti Ieſu crucifixi.

IN exhortatione mea prima de Teſtamento Jeſu in cruce morientis; vos monui me inter ſeptem verba à Chriſto in cruce prolata, quæ præcipuos continent Teſtamenti hujus articulos, non ſervare illum ordinem, quo, primo loco ponuntur hæc, pater ignoſce illis; ſecundo, Hodie mecum eris in paradiſo &c. proinde ne miremini, ſi hac exhortatione dicam, Chriſtum D. in 6. Articulo ſui Teſtamenti Verbo, ſitio, nobis veluti hæredibus legaſſe, infinitum meritum ardentiſſimæ illius ſitis, quam in cruce inter anguſtias mortis ſuſtinuit, ut per illud nos liberemur à ſiti æterna in ignibus inferni. Sodales amantiſſimi audite me cum ſolita attentione, affectuoſa quædam puncta reperi de ſiti Chriſti D.

§. 2.
Sitiens David, fuit figura ſitientis Ieſu in cruce. Ioan. 19. v. 28.

Sic ait S. Joannes Evang. c. 19. *Poſtea ſciens Ieſus, quia omnia conſummata ſunt, ut conſummaretur ſcriptura, dixit Sitio.* Quia enim regius pſaltes multis annis ante dixit Pſ. 68. v. 28. *Et ſuſtinui, qui ſimul contriſtaretur, & non fuit; & qui me conſolaretur, & non inveni. Et dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potaverunt me aceto.* Hoc ut conſummaretur, Chriſtus in paſſione & præſertim in cruce ardentiſſimam paſſus fuit ſitim, de qua conqueritur hoc verbo, *Sitio.* B. Joan. Taulerus; *Verbum, ut breve, ita myſteriis plenum eſt.* Nam (ita quærit Drogo Oſtienſis de Sacram. Dom. Paſſ.) *Domine; quid ſitis? ergone plus cruciat ſitis, quam crux? de cruce ſiles, & de ſiti clamas.*

§. 3.
Cum Chriſtus D. de cruce dixit ſitio. convertit oculos ad aſtantem Matrem, quid ipſa in corde reſponderit.

Citatus Taulerus meditatur Chriſtum D. cum hoc verbum de cruce protulit, cum dixit ſitio, convertiſſe oculos ſuos ad aſtantem Matrem, quaſi illi diceret; *O dulciſſima mea Mater! aſpice ad quantam inopiam, & Dei, & tuus Filius redactus eſt.* Ego ex nihilo produxi maria, fontes, flumina, & omnes abyſſos aquarum; &, ſitio! Ego cogo nubes, ut pluant ſuper faciem terræ, ut irrigentur campi, ut bibant jumenta agrorum; *ſitio!* Ego poto Angelos torrente voluptatis; ego meis electis præbeo aquas ſalientes in vitam æternam; ego ſum fons vitæ; *ſitio!* Quid cogitatis animæ piæ? quis fuerit dolor afflictiſſimæ Matris, cum vidit Filium ſuum in tanta neceſſitate conſtitutum, cum audivit hoc verbum; has querelas

Digitized by Google

morientis Filii, *ſitio.* ego puto illam ingemuiſſe & ſuſpiraſſe, O fili mi! O ſi in mea eſſet poteſtate ſuaviſſimo aliquo liquore refrigerandi tuam ſitim. Sitis aquas? ecce meas lacrymas; ſitis lac? ecce ubera, quibus te Parvulum lactavi? ſitis liquorem cordis mei? *Vides ipſe, fili mi amantiſſime, me totam amoris tui amore liquefactam, ac inſtar uvæ graviſſimo compaſſionis pondere expreſſam. Itaq; me totam trahe in te, bibe me, abſorbe me, in tuum corpus me trayce, ut tota tibi ſim refrigerium, atque refocillatio in hac graviſſima ſiti tua.* Sodales amantiſſimi, corda veſtra ſuntne tales uvæ; ut dicere poſſitis cum B. Virgine, ecce nos, Jeſu Crucifixe, amoris tui flamma liquefactos, ecce nos, inſtar uvarum, expreſſos; itaque trahe nos ad te &c.

§. 4. *Varia fuit ſitis Chriſti D. 1. Naturalis.* Redeo ad ſitim Chriſti D. quæ varia fuit & multiplex. 1. ait Cajetanus, ad literam ex tormentis ſitiebat: & verum paſſionis effectum ſe ſentire profeſſus eſt. S. Cyr. Alexandr. *Dolores innatum calorem exagitant, & quod in profunditate eſt, humidum, conſumunt: & igneis ardoribus dolentis viſcera urunt.* *Pſ. 21. v. 6.* Ut David dixerit pſ. 21. *Aruit tanquam teſta virtus mea, & lingua mea adhæſit faucibus meis.* Sed conſiderate, quæ tormenta Chriſtus intra 20. horas ſuſtinuerit; in agonia, in ſudore ſanguineo (poteſt fieri brevis repetitio totius paſſionis) cogitate quantum ſanguinis effuderit ad columnam &c. & qualis proinde fuerit ſitis Chriſti Domini. Samſon, dum prælio contra hoſtes victorioſus premeret fugientium terga, tandem ait, Judicum 15. *En ſiti morior.* *Iud. 15. v. 18.* S. Bonav. *Quæ utique ſitis, pænaliſſima fuit.* Labores Samſonis quid ſunt ad labores & tormenta Chriſti D. non miremur proinde illum exclamaſſe, *ſitio.* ſiti nimirum naturali, ob labores, ob dolores, ob copioſam ſanguinis ſacroſancti effuſionem.

§. 5. *Altera fuit ſitis, ſalutis animarum.* Altera ſitis, Chriſti D. pendentis in cruce, fuit ſpiritualis, ſalutis animarum, & *hac vel centuplo* (Taulerus) *acrior, ac vehementior fuit ſiti ejus naturali.* S. Bernardus de Paſſ. Dom. cap. 13. ardens fuit ſitis Chriſti D. naturalis, *ſed potius deſiderium ardentiſſimum ſalutis noſtræ ipſum credimus ſitiviſſe.* S. Au- *Pſ. 33. & 61* guſtinus in pſ. 33. & 61. Dicendo *ſitio*, Chriſtus D. hoc voluit dicere;

dicere; *Sitis mea, ſalus veſtra eſt. Sitis mea, Redemptio veſtra, ſitio fidem veſtram, gaudium veſtrum; plus animarum veſtrarum, quam corporis mei cruciatus me tenet.* Joannis 4. Chriſtus D. ſedens fatigatus juxta fontem dixit Samaritanæ, *Da mihi bibere.* Hoc idem puto petiviſſe illum pendentem in cruce, cum dixit, *ſitio.* Mulier, Mater mea! *da mihi bibere.* Dilecte diſcipule Joannes, *ſitio; da mihi bibere.* Magdalena, *ſitio, da mihi bibere.* Sed! quid vis bibere mi Jeſu? quis liquor, quæ aqua poterit reſtinguere ſitim tuam? Mi Jeſu; cruciaris in hoc igne tui doloris, in hac flamma tui amoris, dic, quam petis aquam; Reſpondet S. Laurentius Juſtinianus de triumph. Chriſti agone c.19. *Vos, inquit, volo, vos cupio, vos corpori meo unire, vos mihi aſſociare ſitio. Sitiebat nos.* Hæc ſitis Chriſti D. fuit longe ardentiſſima; & præſertim erga peccatores. *Ioann. 4. 7.*

Tertiam ſitim Chriſto D. in cruce cauſavit immenſitas ardentiſſimæ caritatis, & deſiderium, pro ſalute generis humani patiendi atrociora tormenta, & longiori tempore. *O bone Ieſu,* (ait S. Bernardus cit.) *ut video mirabilis potator es tu,* ebibiſti totum calicem paſſionis, & adhuc ſitis? Reſpondet quæſtioni in perſona Chriſti D. *Quamvis paſſio mea tum acerba fuerit, tamen tua, O homo, me caritate vincente, & ipſa tormenta crucis ſuperante, adhuc plura & majora, ſi neceſſe ſit, ſitio ſubire tormenta. Nihil enim eſt, quod detrectem pro te pati, pro cujus precio animam meam pono.* Confirmat hoc affectuoſiſſimis verbis Taulerus, in eadem perſona Chriſti. Sitio, id eſt, *Etenim ſi fieri poſſet, & Patri gratum foret, vel millies, ob ſalutem omnium veſtrum crucifigi, & ad extremum judicii diem, in hiſce miſeriis, doloribusq; hic pendere optarem. Tantum, ut immenſum vobis cordis mei amorem teſtatum reddere, ſaxeaq; pectora veſtra emollire, ad me amandum accendere poſſem. Quid enim æſtuantiſſima hæc ſitis mea loquitur, niſi flagrantiſſimum amoris mei & deſiderii plura patiendi incendium?* Proinde meditantur alii, Chriſtum D. hoc verbum *ſitio*, non dixiſſe ad circumſtantes, ſed ad Patrem cœleſtem. q.d. Pater, hæc patior, pro ſalute generis humani, ſi hæc tormenta non ſufficiunt, adde flagellis, flagella, *ſitio!* ſpinas,

§. 6. Tertia Caritatis, & deſiderii plura, & longiori tempore patiendi.

Digitized by Google

nas, ſpinis, *ſitio &c.* O amorem ardentem, impetuoſum, conſtantem, inſuperabilem; Abſit ut ego aliquid addam his verbis S. Bernardi, puto vos intelligere, quænam & quotuplex, quam acerba, quam pœnoſa, quam ardens fuerit ſitis Chriſti D. pendentis in cruce, Naturalis, Animarum, Caritatis, & deſiderii patiendi.

§. 9. *Crudelitas Iudæorum, qui ſitienti Ieſu obtulerunt fel & acetum.*

Horreo verò & contremiſco, dum conſidero crudelitatem Judæorum, qui dum audiunt Chriſtum D. in tantis tormentis conqueri, de ſiti; in arundine illi porrigunt ſpongiam plenam felle & aceto. S. Laur. Juſtin. *A ſæculo non eſt auditum, ut homini ſitienti, laſſo, vulnerato, ac morienti, pro ſitis refrigeratione acetum, hyſſopo & felle daretur mixtum. Excedit totius crudelitatis limites iſta crudelitas. Ingrati! ſceleſti, ſine pietate, abſq; miſericordia, quod brutis impenditur (*vulnerato & fatigato cani aqua ſuperfunditur*) ſitienti Dei Filio denegatur.*

§. 8. *Spongia, in qua obtulerunt, fuit prius madida ſanguine Chriſti. Affectuoſus locus.*

Horreo, & contremiſco magis, dum lego, quod refert Baronius ad annum 34. n. 226. Moris fuiſſe apud hebræos, ut ad ſiſtendum ſanguinem defluentem ex vulneribus illorum, qui clavis affigebantur cruci, uterentur ſpongia, plena aceto & hyſſopo. ait enim Dioſcorides l. 5. c. 14. *Acetum erumpentem undecunque ſanguinem ſiſtit.* Plinius l. 31. Hiſt. n. c. 11. *Veteres ſpongiæ, conglutinant vulnera, & ſanguinis profluvium ſiſtunt, ex aceto, vel frigida.* Probabile itaque eſt, crucifixores, cum viderunt v.g. ex vulneribus manuum profluere tam copioſum ſanguinem, quod ſpongia cum aceto & hyſſopo conati fuerint illum ſiſtere; idem contigit in affixione pedum; unde certum eſt, has ſpongias ſimul imbibiſſe multum ſanguinis Chriſti, qui cum felle, aceto, & hyſſopo permixtus fuit. Ideo de ſpongia, quæ hodierno die adhuc aſſervatur Romæ in Eccleſia S. Joan. Lateran. ait Baronius; *Quaſi aliquando ſanguine tincta fuiſſet, ruborem quendam adhuc retinet, quem ſemel imbibiſſet: ſicq; putamus, madidam prius ſanguine ſpongiam, atque preſſam, aceto poſtea, & hyſſopo ſuperinfuſam, ſacratiſſimo ori Domini propinatam.* An crudelius aliquid excogitari poteſt! ſitientem morientem potare ſuo ſanguine, cum felle & aceto. Quinam

hoc

Digitized by Google

hoc faciant, nimirum ſacrilege pœnitentes & communicantes, oſtendi in hodierna mea Concione. Hæc repeto meis ſodalibus, ut ipſi ſitienti Jeſu intime compatiantur, & peculiari ferantur devotione erga ſitim Chriſti morientis in cruce.

§. 9. *Devotio B. Columbæ erga ſitim Chriſti.* B. Columba Mediolanenſis in ſuo agone, ardentiſſimam fuit paſſa ſitim, memor tamen ſitis Chriſti crucifixi, nihil voluit bibere; ſed apprehenſo crucifixo labia ſua appoſuit dulciſſimo ejus lateri, dicens, tu mi Jeſu es ille, qui poteſt reſtinguere ſitim meam. *Quemadmodum deſiderat cervus* (Pſ. 41.) *Pſ. 41. v. 1.* *ad fontes aquarum, ita deſiderat ad te, anima mea Deus, ſitivit anima mea ad Deum fortem, fontem vivum.* Mi Jeſu, hæ aquæ non me deſerent in ariditate mea, in hora mortis meæ.

§. 10. *Epilogus.* Sodales mei amantiſſimi; Hæredes Teſtamenti Jeſu crucifixi! ejus ſitis eſtote memores; ſitis quoque veſtra ſit; pati labores pro Chriſto. Sitis veſtra ſit, amare illum ardentiſſime; Sitis veſtra ſit, ardenti oratione frequenter flagitare ſanctam mortem, felices eſtis hæredes, non eſt, quod timeatis ſitim æternam in ignibus inferni. Fons vitæ & gloriæ, qui ſitivit in cruce, inebriabit nos torrente beatæ felicitatis in omnem æternitatem. Amen.

TESTAMENTI JESU CRUCIFIXI

ARTICULUS VII.

Sive

EXHORTATIO VII.

PRO CONGREGATIONE AGONIÆ. MENSE JULIO.

Et hoc illis à me teſtamentum.

Rom. 11. v. 27.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

ARticulum 7. conſtituit verbum quartum, vel quintum à Chriſto in cruce prolatum, *Deus meus! Deus meus, ut quid dereliquiſti me.* Omne enim meritum, dolorum crucis, & tantæ derelictionis inter anguſtias mortis, nobis legavit; ut ejus meriti valore, nos aliquando in agone, à Deo non derelinquamur.

§.1. *Teſtamentum Ieſu Crucifixi, quomodo deſcriptum fuerit, & quo ſigillo firmatum.*

§.2. *Hæc verba Chriſti in cruce, Deus meus! fuerunt magnæ amaritudinis: quo dolore illa audiverit B. Virgo ſtans juxta crucem.*

§.3. *Hoc verbo, dereliquiſti, voluit Chriſtus D. exprimere atrocitatem ſuorum dolorum.*

§.4. *In anguſtiis mortis.*

§.5. *Pependit Chriſtus in cruce derelictus, id eſt, ſine omni conſolatione.*

§.6. *Expreſſit ex illius ore hæc verba, Deus meus, dolor ob paucitatem Electorum.*

§.7. *Si Deus innocens tanta ſuſtinuit in agone, quid fiet nobis? ſolari nos debet, quod meritum illorum dolorum nobis legaverit.*

§.1. Teſtamentum Ieſu Crucifixi, quomodo deſcriptum fuerit, & quo ſigillo firmatum.

DE ſanctiſſimis Jeſu Chriſti Vulneribus pie dixit Beat. Laur. Juſtinianus de in l. d. amoris c.9. *Super calculo Smaragdino, ſcripta ſunt literæ, in membrana corporis crucifixi; & firmatæ oſculo Miſericordiæ & Veritatis, & Iuſtitiæ, & Pacis, occurrentium ſibi. Denique impreſſum eſt ſigillum, plaga ſcilicet lateris, quam in precium Redemptionis noſtræ, & placationem congruam jugiter exhibet ante oculos Patris.* Non video cur non dicere poſſim; ſimiles literas eſſe illud Teſtamentum amoris, quod in ſanguine ſuo condidit moriens in cruce inter anguſtias mortis. Non ſuper calculo Smaragdino, ſed in ipſo dulciſſimo Crucifixi corde; non ſuper pergameno vel charta, ſed in lacerato & vulnerato ejus corpore, non coloribus vel atramento, ſed precioſo ſanguine, non punctis & lineolis, ſed vulneribus, non calamo, ſed ſpinis, ſed clavis, Teſtamentum hoc deſcriptum eſt. Firmavit illud moriens Jeſus cum inclinato capite omnibus obtulit oſculum amoris

amoris, pacis & miſericordiæ. Subſcripſit Juſtitia, cujus rigori abunde fuit ſatisfactum. Denique impreſſum eſt ſigillum, cum poſt mortem Longinus lancea aperuit latus ejus. Hujus ditiſſimi Teſtamenti Articulos ſex hactenus propoſui meis ſodalibus, ſequitur in ordine ſeptimus, quem conſtituunt verba, quarto vel quinto loco à Chriſto D. de cruce prolata, *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me.* Quem theſaurum nobis Chriſtus D. his verbis legaverit, audietis hac exhortatione.

Matt. 27. v. 46.

§. 2.

Hæc verba Chriſti, in cruce, Deus meus, ut &c. fuerunt magna amaritudinis.

Quo dolore illa audiverit B. Virgo ſtans juxta crucem.

Super hunc Articulum Teſtamenti, in ſanguine Chriſti, ſive hæc ejus verba, *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me*, ait S. Auguſtinus ſerm. de paſſ. *Satagentis & ſolliciti pro nobis, in tribulatione poſiti ſunt verba ejuſmodi, verba quidem teneritudinis, & mæroris, verba amaritudinis & doloris. Nam qui devote conſideraret, ex quam anxio gemitu, ex quam amaro planctu, hæc vox in cruce proruperit ab ore Domini Ieſu; nullus eſt, ſi haberet pectus ferreum, qui non molliretur.* De aſtante matre dicere poſſum cum Ruperto; Abb. in Cant. quod fleverit, & præ fletibus erumpentibus non potuerit verba contexere, quod liquefacta fuerit anima ejus, & in illa fuerit ſimul, *& ignis amoris & gladius doloris.* S. Brigittæ lib. 4. Revel. cap. 70. revelavit B. Virgo, quod dilectiſſimus ſuus Filius hæc verba protulerit, elevatis in cœlum ad Patrem oculis, erumpente ingenti vi lacrymarum, & ſubdit. *Quam vocem ego, nunquam, donec ad cælum veni, oblivìſci potui.*

§. 3.

Hoc verbo, Dereliquiſti, voluit Chriſtus D. exprimere atrocitatem ſuorum dolorum.

Eleganter Landulphus Carthuſ. Fer. 6. in Paraſceve. *Hoc quartum verbum Chriſti, fuit magna acerbitatis, quia clamando oſtendit magnitudinem ſui doloris, qui tantus fuit, quod præ ejus acerbitate, ſe clamat, à Patre derelictum.* Dereliquit autem Pater Cœleſtis dilectiſſimum ſum Filium, hoc ſenſu; ait Doctor Angelicus, *Quod eum expoſuerit paſſioni, unde derelinquere, ibi non eſt aliud, quam non protegere à perſequentibus.* ſive non liberare à tam atrocibus tormentis, quorum magnitudinem Chriſtus D. mundo voluit declarare. S. Bonaventura in cap. 27. S. Matt. *Hoc Chriſtus non ex impatientia, ſed ad inſinuandum,*

Digitized by Google

dum vehementiſsimum eſſe ſuum dolorem, clamavit. In omnibus enim membris patiebatur, & propter complexionis ſuæ teneritudinem, erat ſumme paſſibilis, & perceptivus doloris. S. Thomas. *Ideo ingeminat, Deus meus, Deus meus, ut magnitudinem affectus humani deſignet,* id eſt, ut inde conſideremus, quænam Chriſtus D. quatenus verus homo fuit paſſus in mortali carne. Land. Carth. *Hoc dixit, ut magnitudinem ſuæ pœnæ oſtenderet. Vt quid me dereliquiſti? Vt quid tam immanibus, & intolerabilibus me expoſuiſti doloribus & pœnis. Vehementiſſimo enim dolore in carne ſua tenerrima tenebatur.*

§. 4. *In anguſtiis mortis.*

Auxit hos dolores circumſtantia, cujus mentionem facit S. Matthæus, cum ait; *Circa horam nonam clamavit Ieſus voce magna dicens, Eli, Eli, lamma Sabacthani. hoc eſt, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me. Circa horam nonam,* id eſt, cum jam dolores mortis in ipſum cor Chriſti, ultimos facerent impetus. *Circa horam nonam,* id eſt, cum jam inſtaret finis & terminus præfixus trium horarum terribili agoniæ. *Circa horam nonam,* cum jam anima Chriſti, exteriora membra inciperet derelinquere, verbo cum jam inciperet mori cor Chriſti, cum deficeret & exareſceret fons vitæ; ad demonſtrandum immanes dolores ſuæ agoniæ, Jeſus voce magna incepit clamare, *Deus meus, Deus meus.*

§. 5. *Pependit Chriſtus D. in cruce derelictus, id eſt, ſine omni conſolatione.*

Hinc quoque illi dolores ſumpſere incrementum, prout advertit Dion. Carth. *Quia nulla fiebat pro tunc redundantia conſolationis, & alleviationis à ſuperiori parte animæ Chriſti, in partem ejus inferiorem.* S. Laur. Juſtin. de triumph. Chriſti ag. c. 19. *In puris naturalibus ſenſibilem partem dereliquit. Fluenta enim æternæ voluptatis continuit, ne impetu, quo ſolebant, emanarent in Chriſtum.* Multa illum poterant conſolari, divinitas, cui ejus Humanitas erat unita. Innocentia ſumma, quæ in tribulationibus ingens ſolet eſſe ſolatium. Obedientia voluntaria; animus ejus invictus & invincibilis. Fructus ſuæ paſſionis. Redemptio generis humani. Gloria inſtantis Reſurrectionis. Adimpletio divinæ voluntatis. Verum ex infinito amore, & ardentiſſimo deſiderio, voluit impediri influxum

fluxum cujuſcunque conſolationis, & ideo permiſit, potentias inferiores & naturales ſecundum curſum naturæ, pati, deſolari, triſtari, quantum poſſent. Et ita derelictus, & privatus omni conſolatione, quæ eſſe potuiſſet, præ magnitudine doloris exclamavit, Deus meus &c. Sicque fuit adimpletum illud pſ. 68. *Et ſuſtinui qui conſolaretur, & non inveni.* *Pſ. 68. v. 21*
Non fuit, qui Chriſtum è faucibus tam atrocis mortis eriperet. Daniel liberatus fuit divinitus à faucibus leonis; Suſanna à periculo mortis; Tres pueri è fornace Babylonica (ſi tempus pateretur, poſſet fieri pulcra conglobatio ſimilium exemplorum) qui Jeſum ſalvaret, non fuit. Quàm hoc illi fuerit pœnoſum, & acerbum, his verbis voluit declarare; *Deus meus! Deus meus, ut quid dereliquiſti me.* Sanct. Laurent. Juſtinian. *Corpore ſiquidem, & mente Crucifixus, hac dicere, compulſus fuit.*

Supereſt alius ingens dolor, quem Chriſtus D. hac pia querela, ex his verbis, Deus meus, &c. declarare voluit. Reperio illum apud doctiſſimum Origenem tract. 35. in Matt. *Significavit fructum ſuæ Paſſionis, quæ ſufficiebat ad ſalvandos omnes homines, perventurum eſſe ad pauciſſimos. Ut quid me dereliquiſti, quaſi ſolum, cum paucis electis, qui meæ Paſſionis erunt participes.* Hoc eſt, quod dulciſſimum cor Chriſti cruciavit & pupugit magis, quam ſpinæ, clavi, vulnera, ſitis, blaſphemiæ &c. cruciarint alia membra & potentias. Condemnatio æterna tot millionum animarum, expreſſit ex ore Chriſti D. hæc verba, Deus meus. S. Bernardus de Paſſ. Dom. cap. 12. *Dominus prævidens aliquos, imo plurimos in corpore ſuo, qui ab unitate Eccleſiæ ſuæ, per hæreſes, ſive per alia criminalia peccata erant receſſuri, illorum perſonam in ſe transfigurando clamat, ut quid dereliquiſti me? acſi diceret, quare aliqui eorum abiit retrorſum, ut pereat ab unitate corporis mei, qui tanto cruciatu, mihi ſunt uniti.*

§. 6. Expreſſit ex illius ore hæc verba, Deus meus &c. dolor, ob tantam paucitatem Electorum.

Sed hæreo diutius in abyſſo dolorum Jeſu Crucifixi. Ut finiam, & exponam, quid Chriſtus D. in hoc articulo ſui Teſtamenti nobis legaverit, agite ſodales mei amantiſſimi; dicite,

§ 7. Si Ieſus innocens tanta ſuſtinuit

In agone quid fiet nobis? Sed ſolari nos debet, quod meritum illorum dolorum nobis legaverit Chriſtus D.

dicite, ſi Chriſtus D. Filius Dei, propter peccata aliena, tam atrocem debuit ſuſtinere agoniam, ſi ita ſine omni conſolatione fuit derelictus à Patre ſuo, nos, qui ſumus peccatores, quem ſuſtinebimus agonem? quid ſi inter immanes dolores nos derelinquat? ſimiles cogitationes non ſine cauſa nobis injiciunt ingentem timorem mortis. Horreo, quoties cogito, Morieris! dicite mei ſodales; conſideratiſne ſubinde, quid ſit, animam damnati in inferno à Deo derelinquendam in omnem æternitatem? Sine tremore hoc nemo conſiderare poteſt. Sed ſolatur nos S. Cyprianus ſuaviſſimis his verbis, de Paſſ. Dom. *Derelictus eſt Dominus, ne nos derelinqueremur. Derelictus eſt, ut amorem ſuum erga nos oſtenderet; ut juſtitiam, miſericordiamq; ſuam nobis patefaceret, ut amorem noſtrum ad ſe raperet.* Infinitum meritum, quod in illa derelictione, in iſtis doloribus in anguſtiis mortis, tanta obedientia, tanta patientia, tanta humilitate, tot eximiarum virtutum heroicis actibus, quod, ardentiſſima oratione, quod lacrymis, quod vulneribus, quod ſanguine, & demum morte crucis, promeruit; id totum nobis in hoc articulo ſui Teſtamenti nobis transſcripſit & legavit. Nos ſumus hæredes. Amemus tam liberalem & divitem Teſtatorem, ſimus memores Agoniæ Chriſti; non obliviſcamur horum verborum, *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me!* addamus ardentes preces; & ſimus certi, bonus Jeſus in anguſtiis mortis nos non derelinquet. Ipſe derelictus eſt, ne nos derelinquamur.

TESTA-

Digitized by Google

TESTAMENTI JESU CRUCIFIXI

ARTICULUS VIII.

Sive

EXHORTATIO VIII.

PRO CONGREGATIONE AGONIÆ. MENSE AUGUSTO.

Et hoc illis à me teſtamentum.

Rom. 11. v. 27.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

ARticulum Octavum, Teſtamenti Jeſu Crucifixi, conſtituit vel ordinat ſextum verbum à Chriſto in cruce prolatum, *Conſummatum eſt*, quo nobis legavit ſummam totius ſuæ Paſſionis, ut illius merito obtineamus mortem ſanctam.

§. 1. *Verbum Chriſti, Conſummatum eſt, continet in ſe ſummam totius Paſſionis.*

§. 2. *Paſſio Chriſti tripliciter fuit conſummata.*

§. 3. *Alias ſenſus.*

§. 4. *Quare Chriſtus Dom. in cruce, hoc verbo, nobis legaverit totam ſuam Paſſionem.*

§. 5. *Quomodo mortem noſtram nobis poſſimus facere dulcem.*

§. 6. *Quid ſit Roſarium, mortis, & Paſſionis Chriſti.*

§. 7. *Favor à Crucifixo exhibitus S. Bonaventuræ.*

§. 8. *Epilogus.*

Perveni

Digitized by Google

§. 1. *Verbum Chriſti, conſummatum eſt, in ſe continet ſummam totius paſſionis.*

PErveni in Teſtamento Jeſu Crucifixi, ad ſextum verbum, quod in cruce protulit paulo antequã exſpiraret, cum dixit, *Conſummatum eſt: in quo*, ut ait Land. Carth. *tota ſumma Paſſionis Chriſti continetur*. Hanc ſummam ſic breviter collegit Joan. Taulerus de Vita Chriſti c. 49. Conſummatum eſt, quidquid æterna ſapientia conſtituerat: quidquid Juſtitia rigida pro ſingulis quibusque exigebat: quidquid caritas amanter poſcebat: quidquid erat promiſſum Patribus; quidquid myſteria, figuræ, cæremoniæ & ſcripturæ præſignarunt: quidquid ad noſtram Redemptionem erat accommodatum, ac neceſſarium; quidquid in noſtris abolendis debitis erat conducibile; quæcunque ad noſtras explendas, reſarciendaſque negligentias conferebant; quidquid glorioſum atque amicabile eſſe poterat, ad ſublimem demonſtrandum amorem; quæque pro noſtra ſpirituali inſtitutione ac informatione deſiderare potuiſſemus: quidquid denique honeſtum, atque congruum erat, mirificæ Redemtionis noſtræ triumpho celebrando, atque victoriæ: Cuncta hæc ſunt determinata verbo illo Chriſti, *Conſummatum eſt*. S. Laur. Juſtin. *Nihil particulariter perhibuit conſummatum: ſed abſolute ait, Conſummatum eſt, ut altiſſima (*& univerſaliſſima*) hac prolatione, intelligas, omnia eſſe completa, juxta gloſſam* Cajetani. *Conſummatum eſt myſterium meæ Paſſionis, adimpletis quæ ſcripta ſunt de me.*

§. 2. *Paſſio Chriſti tripliciter fuit conſummata.*

Eodem ſenſu ait S. Thomas in c. 2. ad hebr. *Conſummatum eſt, poteſt referri, vel ad conſummationem Paſſionis; vel ad conſummationem ſanctificationis, quæ eſt per paſſionem & crucem ejus, vel ad conſummationem ſcripturarum*. De primo, ait S. Paulus ad hebr. 10. *Decebat in gloriam, auctorem ſalutis eorum, per paſſionem conſummari*. De ſecundo, idem, ibidem. *Una enim oblatione conſummavit in ſempiternum ſanctificatos*. De tertio prædixit ipſe Chriſtus D. Luc. 18. *Conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt per Prophetas de Filio hominis*. tum dixit, flagellabitur; flagellatus eſt. Illudetur! Illuſus eſt &c.

Heb. 10. 10.

Luc. 18. v. 31.

§. 3. *Alius ſenſus.*

S. Leo ait ſer. 8. de paſſ. Cum Chriſtus D. in cruce dixit con-

conſummatum eſt, tunc omnium carnalium ſacrificiorum varietate ceſſante, omnes differentias hoſtiarum, una corporis & ſanguinis ſui implevit oblatione. Finito ſacrificio miſſæ, ſacerdos vertens ſe ad populum dicere ſolet, Ite, Miſſa eſt. Idem ſummus ſacerdos Chriſtus ad aram crucis dixit in verbo conſummatum eſt. Ite Phariſæi, furori veſtro factum eſt ſatis. Ite crucifixores, peracta ſcena eſt; Ito Pilate, ſententiæ mortis, quam tuliſti, jam fiet ſatis. Ite, immaculatus Agnus fudit ſuum ſanguinem, & in ara crucis.

Itaque Chriſtus D. in teſtamento crucis, nobis legavit ſummam ſuæ paſſionis; ut illius vi & efficacia, in ſupremo agone, infernalibus hoſtibus nos opponamus, & vincamus, S. Elzearius quam pius fuit comes. Ille Elzearius, in matrimonio Virgo, ille cliens magnæ Matris; ille amator SS. Vulnerum, ut ſponſæ & conjugi ſuæ ſcripſerit, ſi quæris me, quære me in Vulneribus crucifixi: ibi habito. Nihilominus (teſte Surio 27. Sept.) in ſuprema lucta conſtitutus, adeo perturbari viſus eſt, ut tandem exclamaverit; magna eſt vis dæmonum! Sodales amantiſſimi; qua vi non tentabunt nos aliquando ſubvertere? ſed nolite, timere: S. Elzearius mox ſubdidit, eam penitus enervarunt virtus & memoria ſacroſanctæ Paſſionis Jeſu Chriſti. Tacuit; atque iterum exclamavit, plane vici! totum me divino judicio committo. Tum ter repetiit, per ſanctam crucem & paſſionem tuam, libera me Domine. Hæc eſt ſpes mea, in hac volo mori! Hoc agamus ſodales, acceptemus legatū Chriſti morientis, totam ipſius amariſſimam Paſſionem, illius ſimus memores frequentiſſime; non bis vel ter, ſed centies & millies dicamus, Jeſu per amariſſimam Paſſionem tuam libera nos, & veniet hora, qua & nos cum morienti Chriſto dicere poterimus, *conſummatum, bonum certamen certavimus, curſum conſummavimus*, de reliquo repoſita eſt nobis corona Juſtitiæ.

§. 4. *Quare Chriſtus D. nobis in cruce hoc verbo legaverit totam ſuam Paſſionem.*

Placet mihi aureum monitum, piiſſimi Auctoris, quod heri in pio libello, cum ſolatio legi; & ſic habet. Amaritudinem futuræ tuæ mortis, miſce cum amaritudinibus Paſſionis Chriſti,

§. 5. *Quomodo mortem noſtram*

nobis facere poſſimus dulcem. Chriſti, & præſertim per triſtitiam ultimæ agoniæ in cruce, roga, ut tuam mortem tibi dulcem faciat. Catharina Riccia *In Vita 1546.* Florent. moritura crucifixum amplexata dixit, Jeſu! per paſſionem tuam, *lava me*; abſconde me in latere tuo, ne me dæmon inveniat: & his dictis piiſſime exſpiravit. Hac intentione jam ſtatim orabimus Roſarium quinque SS. Vulnerum: ſub prima decade; memores totius Paſſionis Chriſti, abſcondemus nos in vulnere ſiniſtri pedis; & dæmon non inveniet nos. (fiat inductio, per reliquas decades, & vulnera Chriſti.)

§. 6. *Quid ſit Roſarium Mortis, & Paſſionis Chriſti.* Audiviſtiſne aliquid ſodales de Roſario mortis & Paſſionis Chriſti? hæc eſt ejus praxis. Viri pii ſumunt Roſarium; ad grana majora dicunt, Maria Mater gratiæ &c. ad minora hoc, corde & ore proferunt ſuſpirium, *Domine Ieſu Chriſte, per paſſionem & mortem tuam, concede mihi ſanctam mortem.* Jam ſcitis artem orandi hoc Roſarium, probate; non orabitis ſine ſolatio, experiemurque aliquando, bene dixiſſe diabolum ad S. Brigittam, nihil poſſum, niſi permittat crucifixus.

§. 7. *Favor à Crucifixo exhibitus S. Bonaventuræ.* Utinam hoc veſpere nobis obtingeret illa gratia, vel favor de quo ſibi gratulatur S. Bonaventura in Stim. am. c. 1. ſic enim ait, *O ſacratiſſima! amantiſſima! dulciſſima Vulnera IeſuChriſti, cum quadam vice, ea oculis ſubintrarem apertis, protinus vivo & tepenti ſanguini oculi mei fuerunt repleti; ſicq; ut nihil videns cœperim ire manu palpans, donec perveni ad intima, ineffabilis ſuæ caritatis, quibus undique circumplexus, reverti nequivi. Ideoque ibi habito, ibi quieſco, ibi paſcor, ibiq; delectabiliter inebrior. Ibi totus ardeo amoris fervore; ibi totus perfundor jucunditatis dulcore, ibi ſimpliciter fruor abundantia omnis boni, in tantum, ut jam neſciam, explicare.* Sodales amantiſſimi; hoc agamus hoc veſpere &c. (eſt locus pro pio affectu.)

§. 8. *Epilogus.* Age, hoc veſpere, quod ſuadet S. Bernardus ſer. 4. de Cœna Domini. *Funde lacrymas ad crucifixum. Te ſalvare paratus eſt, qui pro te talia paſſus eſt.* Dico ego, funde lacrymas ad Jeſum Agonizantem; paratus eſt in agone tuo te conſolari qui pro te agonizare voluit, &c.

TESTA-

TESTAMENTI JESU CRUCIFIXI

ARTICULUS IX.

Sive

EXHORTATIO IX.

PRO CONGREGATIONE AGONIÆ. MENSE SEPTEMBRI.

Et hoc illis à me teſtamentum.

Rom.11. v.27.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

SOdalibus Agoniæ, ut quotidie habeant balneum, in quo laventur; ut habeant precium, quo ſatisfaciant, ut non timeant aſſultus dæmonis, in ſupremo agone, moriens in cruce Chriſtus D. in teſtamento ſuo illis legavit theſaurum precioſiſſimi ſui ſanguinis.

§. 1. *Paſſio Chriſti in nobis accendit illius amorem.*

§. 2. *Ob quos fines Chriſtus D. moriens in cruce nobis legaverit ſuum ſanguinem.*

§. 3. *Per ſanguinem Chriſti habemus redemptionem, & remiſſionem peccatorum.*

§. 4. *Proſecutio.*

§. 5. *Nulli eſt ſalus, niſi in ſanguine Chriſti, figura fuit funiculus coccineus ex cap. 2. Ioſue.*

§. 6. *Roſarium quinque SS. Vulnerum comparatur funiculo coccineo.*

§. 7. *Affectuoſiſſima verba Chriſti D. ad S. Thereſiam.*

§. 8. *Amor crucifixi eſt certum medium adipiſcendi ſalutem.*

Digitized by Google

§. 1. Paſſio Chriſti in nobis accendit illius amorem.

PUto bene dixiſſe D. Laurentium Juſtinianum; *Inflammat nos ad eum amandum, paſſio, quam ipſe Dominus Ieſus pro nobis ſuſtinuit. Multum pro nobis laboravit Salvator, ut accendamur amore ipſius, inſpicientes Vulnera Chriſti in cruce pendentis, ſanguinem morientis, precium redimentis. Si enim conſideremus, quod tanti ipſe nos fecerit, ut redimendo ſanguinem ſudaverit, & fuderit, ſi non etiam ſanguine fleverit,* ſi inquam, hæc conſideremus, quomodo fieri poterit, ut eundem non redamemus? S. Bonaventura: *Cum homo conſiderat, illa intima pietatis viſcera Domini noſtri Ieſu Chriſti, quæ ſuper nos effudit, in cruce taliter moriendo pro nobis, dilatatur cor noſtrum* ad eum redamândum. *Et ex hoc præcipue ſe aperit cor quia videt Dominum ſuum pro ſe crucifixum.* Auxit in immenſum magnitudinem ſui amoris Chriſtus D. quod non ſemel tantum in cruce ſanguinem ſuum pro nobis effuderit, quod non tantum vinum in ſang. converterit in ſacroſ. Sacr. Euch. ſed quod eundem moriens in teſtamento ſuo eundem nobis legaverit, veluti ditiſſimam hæreditatem. Verſus aliqui ex S. Scriptura præbent mihi cauſam ita loquendi, v. g. verſ. 21. c. 9. Zachariæ, *Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu.* Item Apoc. 5. *Redemiſti nos Deo in ſanguine tuo, & feciſti nos Deo noſtro regnum, & regnabimus ſuper terram.* S. Ambr. in pſ. 118. ſer. 17. *Sanguis Chriſti purpura eſt, qui efficit ſanctorum animas, non ſolum colore reſplendentes, ſed etiam poteſtate, quia Reges facit, quibus regnum donet æternum.* Hæc eſt hæreditas Domini, de qua loquitur S. Paulus cum nos vocat, hæredes gloriæ, cohæredes Chriſti. O divitem hæreditatem!

Zach. 9. 21. Apoc. 5. 9.

§. 2. Ob quos fines, Chriſtus moriens in cruce nobis legaverit ſanguinem ſuum.

Quo precio putatis vos redemptos, Auditores? quærit quidam concionator, an auro? an argento? an gemmis? an theſauris? an opibus hujus mundi? & reſpondet cum S. Petro ep. 1. c. 1. *Non corruptibilibus auro vel argento redempti eſtis, ſed precioſo ſanguine quaſi agni immaculati & incontaminati Chriſti.* Filiæ Sion: ſodales mei amantiſſimi; qui timetis mortem, ob quotidianas culpas, in quas facile labimur, & quibus debitores reddimur, ut D. Juſtitiæ ſatisfaciamus, adeſte ad lectu-

1. Petr. 1. 18.

lum

lum crucis? & quodnam putatis eſſe legatum, quod in ſuo teſtamento vobis ordinavit? an aurum? an argentum &c. corruptibilia, vana, caduca, hæc ſunt; Immaculatus Agnus, incontaminatus Chriſtus, immaculatum ſuum ſanguinem nobis legavit, ut in illo, veluti balneo quotidie à ſordibus lavemur; ut illo, veluti moneta precii & valoris infiniti, pro debitis noſtris ſatisfaciamus; ſicque nos diſponamus ad ſanctam mortem, in qua non eſt, cur dæmonem timeamus. Ecce triplicem effectum hujus legati, ſive, ſanguinis Chriſti. In illo mundamur: eodem ſatisfacimus pro noſtris delictis: ſi illo reſperſæ ſint animæ noſtræ, nihil nobis in articulo mortis diabolus nocere poterit.

De precioſiſſimo hoc ſanguine, veluti legato Teſtamenti, quod Chriſtus D. condidit moriens in cruce, affectuoſe loquitur S. Paulus ad Coloſſ. 1. *Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum* (quid hoc eſt aliud, quam quod memor fuerit noſtri in ſuo teſtamento & ſubdit) *qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum Filii, dilectionis ſuæ, in quo habemus redemptionem per ſanguinem ejus & remiſſionem peccatorum.* Super hæc verba ait S. Hieronymus. *Ieſus Chriſtus Filius Dei, proprium ſanguinem dedit, & nos de ſervitute eripiens libertate donavit,* (ſatisfecit pro noſtris debitis) *qui cruore ſuo, non unam urbem, ſed totum purgavit orbem* S. Auguſtinus l. 13. de Trinit. *In hac Redemptione, tanquam precium pro nobis datus eſt ſanguis Chriſti, quo accepto diabolus ligatus eſt, & nos ab ejus nexibus ſoluti ſumus.* Clariſſime S. Paulus ad Hebr. 9. *Sine ſanguinis effuſione non fit remiſſio.* Id eſt, niſi Chriſtus D. pro nobis, & quidem in cruce effudiſſet pro nobis ſuum ſanguinem, nunquam fuiſſemus loti à noſtris peccatis; nunquam Deo potuiſſemus pro illo ſatisfacere, permanſiſſemus mancipia diaboli, in miſerabili ſervitute.

§ 3. *Per ſanguinem Chriſti habemus redemptionem, & remiſſionem peccatorum.* *Coloſſ. 1. 12.*

Hebr. 9. 22.

§. 4. *Proſecutio.*

Jam vero agnoſcite infinitum Chriſti morientis erga nos amorem , cum ob corruptam naturam quotidie labamur in ſordes peccati , cum quotidie nova contrahamus debita, cum diabolus quotidie conetur, nobis injicere nova

Digitized by Google

vincula & catenas; piiſſimus Salvator moriens nobis legavit precium precioſiſſimi ſui ſanguinis; ut illo quotidie nos poſſimus mundare; ut quotidie hoc precio ſatisfaciamus d. Juſtitiæ, ut quoties volumus illius memoria vincamus dæmonem. Reſperſis hoc cruore nihil ille nocere poteſt.

§. 5. Nulli eſt ſalus, niſi in ſanguine Chriſti. Figura fuit funiculus coccineus ex c. 2. Joſue. v. 18.

Quia Raab, exploratores Joſue, in Jericho, cum caritate excepit, dixerunt illi Joſue c. 2. *Si ingredientibus nobis terram, ſignum fuerit funiculus ille coccineus, & ligaveris eum in feneſtra, per quam dimiſiſti nos &c.* Cur non obtulerunt illi funiculum candidum, qui color denotat innocentiam? cur non cæruleum? in ſignum ſanctiſſimorum deſideriorum. Cur non Viridem? ad animandam ejus fiduciam. Cur non aureum? in ſymbolum caritatis. Reſpondit quæſtioni Origenes hom. 3. in Joſue. *Raab meretrix ſignum coccineum ponit in domo ſua, per quod ſalvari de excidio debet civitatis. Aliud nullum fuit ſignum, quod acciperet, niſi coccineum, quod ſanguinis formam gerebat. Sciebat enim, quia nulli eſſet ſalus, niſi in ſanguine Chriſti, omnes qui inventi fuerint in domo hac ſalvabuntur, ſi quis ſalvari vult, veniat in hanc domum, hujus, quæ quondam meretrix fuit, qui vult ſalvari, in illa enim ſanguis Chriſti in ſignum Redemptionis eſt.*

§. 6. Roſarium 5. SS. Vuln. comparatur funiculo coccineo.

Suppono Roſarium quinque SS. Vulnerum, quo ſodales hujus ſanctæ Congregationis, frequenter petunt ſanctam mortem, præſertim in menſtrua congregatione, cum tanta devotione, tam accenſo fervore, cum clamore cordis & oris; puto inquam, hoc Roſarium vocari poſſe funiculum coccineum; coccineæ ſunt primæ decades ob roſeum ſanguinem SS. Pedum. Coccineæ ſunt decas tertia & quarta, ob cruorem ex SS. manibus crucifixi profluentem. Roſeus funiculus eſt decas quinta, intincta roſeo Vulneri dulciſſimi lateris Chriſti. Quo ſuppoſito, ex verbis Origenis has formo propoſitiones. Sodales hujus congregationis ſe ſe ornant his coccineis funiculis, in ſignum, per quod ſalvari volunt, in excidio mundi; cum iratus Deus impios detrudet in tartarum. Sodales hujus congregationis credunt, nulli eſſe ſalutem, nullum

mori

mori ſanctè, niſi in ſanguine Chriſti; Omnes qui inventi fuerint in hac ſodalitate, loti ſanguine Chriſti, dediti devotioni erga divinum hunc cruorem, ſalvabuntur. Si quis ſanctè vult mori, ſi vult ſalvari, veniat in hanc ſanctam congregationem, in illa eſt ſanguis Chriſti, in ſignum Redemptionis. Pio ſodali hujus congregationis, diabolus in agone nocere non poteſt.

§ 7. *Affectuoſiſſima verba Chriſti D. ad S. Thereſiam.*

S. Thereſia, cum aliquando à ſacratiſſima communione rediret, reperit os ſuum eſſe plenum ſanguine, incredibilis ſuavitatis, ſuper lac & mel. Tum illi Chriſtus: *Volo filia, ſanguis meus tibi proſit: ne timeas me tibi defuturum. Ego ſummo cum dolore ſanguinem profudi; tu illo, ſumma cum ſuavitate perfrueris, ut experiris.* Scire deſideratis, ſodales amantiſſimi, qua ratione velim vos mox recitare Roſarium quinque SS. Vulnerum? hoc volo; ut corda & ora veſtra, ſint plena ſanguine; jam ſanguine pedum &c. ſodales mei! Vult bonus Jeſus moriens, ut ejus ſanguis nobis proſit: ne timeatis defuturum illum nobis in ſupremo agone. Ille, cum magno dolore ſuum ſanguinem effudit; ſed nos ſumma cum ſuavitate illo perfrui poſſumus, agite experimini.

§ 8. *Amor crucifixi. certum eſt medium adipiſcendi ſalutem.*

Chronic. S. Fr. p. 2. l. 8. c. 9. refert Joannem de Firmo, horrida in agone facie turbatum primum, deinde rogatum, quid illa facies ſibi voluiſſet, reſpondiſſe. *Si qua vidi, dicerem, non crederetis; ſed unum ſcitote, quod qui vult æternam adipiſci ſalutem, ſoli Chriſto Crucifixo ardenter inhærere debet. Hæc dicens* animam cœlo dedit. fac p. epilogum.

TESTA-

TESTAMENTI JESU CRUCIFIXI

ARTICULUS X.

Sive

EXHORTATIO X.

PRO CONGREGATIONE AGONIÆ. MENSE OCTOBRI.

Et hoc illis à me teſtamentum.

Rom. 11. v. 27.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

LEgatum Articuli X. eſt divinum cor Jeſu Crucifixi.

§. 1. Teſtator dum vivit, theſaurum abſcondit; poſt mortem reperitur ab hæredibus cum gaudio.

§. 2. Chriſtus nobis legavit cor ſuum, veluti librum Vitæ.

§. 3. Veluti lectulum, & tutum locum, in hora mortis.

§. 4. Cor Chriſti, eſt lectus ſanguinis, & ignis.

§. 5. In corde Chriſti reperimus omne bonum.

§. 6. Chriſtus cor ſuum nobis legavit, veluti cibum: præſertim in communione.

§. 7. Corda noſtra debent uniri cordi Chriſti; præſertim ſub Oratione.

§. 8. Affectuoſæ cauſæ ex variis viſionibus, ob quas Chriſtus Dominus nobis legavit cor ſuum.

§. 9. Cor Chriſti eſt igniarium Divini Amoris.

§. 10. *Vi-*

§. 10. *Viſio S. Mechtildis.*
§. 11. *Optat Epilogus, ut corda ſodalium ſint hortus Ieſu Crucifixi.*

SOlent illi, qui teſtamentum condunt, nobiles aliquas & magni precii gemmas, vel annulos, vel aureas catenas, quas dilectiſſimo filio, vel filiæ, aut alteri hæredi legant, in aliqua ciſtula vel ſcrinio abſcondere, ne ſtatim oculos incurrant. Cum poſt mortem hæredes tales ciſtas aperiunt, & tam divitem theſaurum aperiunt, ingens exoritur gaudium. Idem fecit Chriſtus D. Ante mortem, legavit nobis veniam peccatorum, paradiſum, ſummam ſuæ paſſionis, vulnera, precioſum ſanguinem, & infinitum theſaurum ſuorum meritorum. Poſtquam obiit in cruce, Longinus lancea aperuit arcam divini pectoris, & aperto latere, apparuit theſaurus ingens, dulciſſimum cor Jeſu! ditiſſima hæreditas omnium Electorum, & præſertim ſodalium hujus congregationis, Chriſti in cruce Agonizantis. Gaudete mei ſodales! Hæreditas hujus cordis nobis procurabit ſanctam mortem, & per illam, hæreditatem gloriæ æternæ, & ſempiternæ felicitatis. §. 1. *Teſtator, dum vivit theſaurum abſcondit. poſt mortem reperitur ab hæredibus cum gaudio.*

Ex vi hujus articuli, merito ſperare poſſumus felicem & beatam mortem. Beate & ſancte moriuntur, quorum nomina ſcripta ſunt in aureo libro vitæ; reliquit nobis Chriſtus D. in ſuo teſtamento, ſuum cor, ſive librum vitæ, in quo, partim noſtris lacrymis, partim rubeo colore precioſi ſanguinis Chriſti, aureis characteribus Caritatis, nomina noſtra inſcribere poſſumus. Continet hic liber diverſa folia; uni inſcripta ſunt nomina ſodalium Roſarii B. Virginis, alteri, ſodales ſcapularis; aureum folium eſt cor Chriſti, cui inſcripta ſunt nomina ſodalium Agoniæ. Theſaurum precioſiorem Chriſtus D. moriens in cruce, nobis relinquere non potuit. Juxta mentem Lud. Bloſii in Marg. ſp. c. 19. *Apertum eſt Chriſti latus, ut nobis acceſſum, aditumq; pius Ieſus ad cor ſuum pateſaceret: unde declaravit ſuum infinitum erga nos amorem. Et quid ultra potuit nobis facere, quam fecit? Ipſum cor ſuum, tanquam ſecretiſſimum* §. 2. *Chriſtus D. nobis legavit cor ſuum, velut Librum Vitæ.*

mum cubiculum nobis reſeravit. Dedit nobis cor ſuum, dire vulneratum, ut in eo commoraremur, donec penitus expurgati & mundati, ſuoque cordi conformes, idonei ac digni ſimus, una cum ipſo in æterni patris cor deduci.

§. 3. *Veluti lectulum, & tutum locum in hora mortis.*

Mox ſubdit piiſſimus Auctor, affectuoſam cogitationem. *Nobis præbet cor ſuum, ceu lectulum, purpurei ſanguinis ſui, rubentibus roſis adornatum; repoſcitq; cor noſtrum, ceu lectulum, candidis mundorum operum condecoratum liliis.* Ab hac cordium commutatione puto ego pendere ſanctam mortem. Piiſſimus Religioſus è Soc. Jeſu P. Alphonſus Eſquiera; cum coram crucifixo ardentiſſimis precibus à Deo peteret, animam ſuam intime uniri animæ Chriſti, & cor ſuum cordi crucifixi; cum ad altare ſub ſacrificia Miſſæ idem à Patre Cœleſti, & Redemptore Chriſto rogaret per interceſſionem B. Virginis Mariæ; ſentire tandem ſibi viſus fuit, quaſi B. V. virgineis manibus, animam & cor ſuum, extraheret, illudque reponeret in latus & pectus Chriſti, & uniret cum corde Chriſti; deinde ſenſit, Chriſtum D. ſanguineis manibus ſuum cor, reponere in pectus Alphonſi, ejuſdem cordi unitum. Si aliquando in agone, per fidem, ſpem & caritatem & nobis hæc gratia contingat, ut jaceamus in corde crucifixi, veluti roſeo lectulo, ut in illo ita uniantur corda noſtra, cum corde Chriſti, quomodo poterimus infeliciter mori? ſed neceſſe eſt, ut modo dum ſani ſumus, ex toto corde diligamus tantum à Chriſto D. nobis relictum theſaurum, ejus cor.

§. 4. *Cor Chriſti, eſt lectus ſanguinis, & ignis.*

Non Bloſio tantum, ſed S. Virgini Catharinæ Senenſi quoque cor Chriſti viſum fuit lectulus; ſic enim ait in Epiſtola ad ſuum confeſſarium. *Rogo, ut te concludas in aperto Chriſti latere, ibi pia anima quieſcit, in lecto ignis & ſanguinis; ſanguinis ut lavetur; ignis, ut accendatur.* Ibi manifeſtantur ſecreta cordis Filii Dei: ibi ſatiatur omne deſiderium, ibi impletur memoria, illuminatur intellectus, inflammatur voluntas. Ibi laborat, non alterius recordari, non alium intelligere, non alium diligere, quam dulcem bonum Jeſum; ſanguinem & ignem; inæſtimabilem amorem. Si anima pia in agone, inter hos

actus

actus quieſcat & lateat in lectulo cordis Jeſu, quomodo nocere illi poterunt Angeli mali; quomodo fieri poterit, ut talis ſodalis in corde crucifixi, non moriatur ſancte? Talis in agone cum S. Auguſtino dicere poteſt, *Longinus aperuit teſtamentum Jeſu morientis, aperuit lancea latus & cor Chriſti; & ego intravi, hic fidenter habito. hic me jucunde reficio, hic quieſco ſecurus.*

De hac hæreditate, vel articulo hoc Teſtamenti Crucifixi gratulatur nobis Joannes Landſpergius ſer. 54. de paſſ. *Diſce habitare in hoc vulnere lateris. Si enim amica eſt, vel ſponſa anima tua, ubi ſuavior illi quies erit, quam in hoc ſponſi tui vulnere? ſi columba es, ubi tutior locus ad nidificandum? ſi paſſer eſſe decreviſti, nuſquam tibi magis conveniens erit locus, ut abſtractam & ſolitariam vitam agas* (ut ardenter ores) *quam in corde Chriſti. Si turtur es, & caſtis variisq; gemitibus ad Deum ſuſpirans, hic locus requietionis, & conſolationis* (& orationis) *locus erit. Hic eſuriens, manna invenies, quod edas. Sitiens, hic fontem ſalutis hauries, ubi bibas: hic enim eſt fons paradiſi. Eſt hic oſtium arcæ, per quod intrant, non perituri diluvio.* Hoc agite mei ſodales, acceptate legatum; capite cor Chriſti, in illo, veluti libro ſcribite veſtra nomina. In illo, veluti lectulo quieſcite, in illo, veluti loco tutiſſimo, vos abſcondite, *non peribitis.* *§. 5. In corde Chriſti reperimus omne bonum.*

Refert P. Nadaſi 4. Februarii in Anno Cœleſti, B. Joannam Reginam à Chriſto D. & B. Virgine fuiſſe invitatam ad epulas. Pro cibis, vidit proponi in aureis lancibus duo corda, cor Jeſu & cor Mariæ; tum juſſa fuit, ſuum quoque apponere, illudque cum illis conjungere, & unire. Non miror ſtatuta hujus congregationis ſuadere ſodalibus menſtruam communionem pro obtinenda felici hora mortis; cum in illa invitemur ad divinas epulas, cum nobis proponatur cor Chriſti, non tantum prout legatum eſt ejus teſtamenti, ſed revera ut illud edamus, & comedamus, cum in corde Chriſti, incluſum ſit cor Mariæ; ſi noſtrum quoque apponamus, ſi illud uniamus & conjungamus cum corde Jeſu & Mariæ; præſertim in communione ultima, in Viatico, in hora mortis; quomodo fieri poteſt, ut ita uniti Chriſto D. ut quieſcentes in corde *§. 6. Chriſtus cor ſuum nobis legavit, veluti cibum; præſertim in communione.*

Chriſti, non moriamur ſanctè? Cor ſuum, moriens in cruce Jeſus nobis legavit, ut arrha illud nobis ſit & pignus ſanctæ mortis, & felicis æternitatis.

§. 7. *Corda noſtra debent uniri cordi Chriſti, præſertim in oratione.*

De oratione, Chriſtus D. dixit S. Margarethæ pœnitenti, (22. Febr.) *Nulli cor tuum præbeas, niſi mihi dilecto tuo, ſolum me dilige. Oratio recta requirit cor, ab omni labe defæcatum, cor humile, cor ſeparatum ab omni ſtrepitu mundanorum affectuum.* Orabimus mox Roſarium quinque SS. Vulnerum pro felici morte, ſpero vos attuliſſe corda munda, humilia, abſtracta à mundo. Ut oremus adhuc ardentius, ſodales mei amantiſſimi; ecce in ſanctiſſ. Sacramento præſens nobis eſt cor Jeſu Crucifixi, quod in ſuo teſtamento moriens nobis legavit, illi prius uniamus corda noſtra, & orabimus ardenter. Cum hoc feciſſet S. Mechtildis in S. Communione, Chriſtus D. illi dixit, Tu in me, & ego in te, & in æternum non derelinquam te. Per divinum cor meum ſemper me laudabis. Per idem cor petere poſſumus, quod volumus, Jeſu ſanctifica nos, per divinum cor tuum &c. S. Catharinæ Senenſi ille favor aliquando fuit exhibitus, ut videret cor ſuum è corpore ſuo exire, & intrare in apertum pectus & Vulneratum cor Chriſti; hoc faciamus mei ſodales.

§. 8. *Affectuoſa cauſa, ex variis viſionibus, ob quas Chriſtus D. nobis legavit cor ſuum.*

S. Juttæ Viduæ ſub oratione Chriſtus D. dixit (5. Maji.) Omnia mea tua ſunt. Simulque poteſtatem illi fecit, ut è divino ærario cordis Jeſu, quemcunque ſibi vellet theſaurum depromeret; quod & fecit. B. Franciſcæ Romanæ oſtendens aliquando Chriſtus D. cor ſuum, ſplendidiſſimis radiis fulgidum, illi dixit, *Ego ſum Amor fidelis*. S. Gertrudi, cum animam ageret, cœleſtis ſponſus apertum cor monſtravit, angelis interea canentibus, *Veni! Veni! Veni! quia exſpectant te cœli deliciæ, Alleluja! Alleluja.* Advertitis credo cauſas, ob quas Chriſtus D. in Teſtamento ſuo nobis legaverit cor ſuum. Vult illud nobis eſſe cœleſte ærarium, ut ex illo quemcunque volumus theſaurum depromamus; Omnia ipſius, noſtra ſunt. Voluit oſtendere, ſe nos fideliter amaſſe, uſque in mortem, & ultra mortem. Venite! Venite! mei ſodales, hunc paradiſum intrate, cœli deliciæ nos exſpectant. Lega-

Legavit nobis benedictum hoc cor, ut illud nobis ſit igniarium divini amoris; Bloſius. *O Beatos illos! qui hujus ſunt vulneris participes, quorum corda ſic configit amoris Chriſti lancea, ut deinceps, perenni ferveant caritatis ardore.* B. Mechtildis orans coram crucifixo vidit inter effluentem ex divino corde ſanguinem, erumpere flammas, quibus in amore Jeſu tota fuit accenſa; Alias vidit decidere igneas catenas, quibus ſuo ſponſo fuit colligata. Alias, flammeas ſagittas, quibus ejus cor fuit transfixum. Intelligitis, quam nobilem hæreditatem Chriſtus D. nobis reliquerit? fecit nos participes illius vulneris, ex quo igneas nobis offert catenas, ut illi colligemur, vibrat ſagittas, quibus transfigamur. *§. 9. Cor Chriſti eſt igniarium D. Amoris.*

S. Melchtildis aliquando vidit, è corde Jeſu prodire triplicem funiculum aureum, quo cor B. Virginis cum corde ſuo colligavit; ita, ut ille funiculus ad Seraphinos, ad omnes Angelos, & ad omnium ſanctorum corda varie porrigeret; ſono ſuaviſſimo quaſi è canentibus omnium cordibus exaudito, quo Deus fuit oblectatus. O ſi ego hodie ſimili funiculo, mecum & omnium ſodalium corda, cordi Jeſu crucifixi, & Doloroſæ Matris poſſem colligare. Suavis harmonia, erit Oratio noſtri Roſarii. Agite ſodales, oblectemus illo Deum. *§. 10. Viſio S. Mechtildis.*

In corde S. Gertrudis viſa fuit B. Virgo plantare pulcerrimos floſculos, ut cor illud eſſet Hortus Mariæ. Si ego forem cœleſtis Hortulanus; ſtatim in ſodalium meorum cordibus plantarem quinque pulcerrimas roſas. Talis Roſa, eſt vulnus ſiniſtri pedis &c. Roſa pulcerrima vulnus diviniſſimi cordis. Sic corda noſtra erunt Horti Jeſu crucifixi, ex quibus olim intrabimus paradiſum cœleſtis gloriæ. *§. 11. Optat Epilogus ut corda ſodalium ſint Hortus Ieſu crucifixi*

TESTAMENTI JESU CRUCIFIXI

ARTICULUS XI.

Sive

EXHORTATIO XI.

PRO CONGREGATIONE AGONIÆ.

MENSE NOVEMBRI.

Et hoc illis à me teſtamentum.

Rom. 11. v. 27.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

LEgatum Articuli Decimi, eſt Titulus Crucis, & in illo, ſanctiſſimum nomen Jeſus.

§. 1. *Picturis, libris, trophæis apponuntur nomina Pictorum, Auctorum, Ducum.*

§. 2. *In quo ligno, & quo colore fuerit ſcriptus Titulus crucis.*

§. 3. *Deus procuravit, ut poneretur hic Titulus.*

§. 4. *Tam glorioſus & triumphalis.*

§. 5. *Ideo diſplicuit Iudæis.*

§. 6. *Hunc titulum cum nomine Ieſu, legavit nobis Chriſtus D. in ſuo Teſtamento.*

§. 7. *Et trahit ſecum divitem hæreditatem.*

§. 8. *Quare hoc nomen debeamus magni æſtimare.*

§. 9. *Diabolus ob varias cauſas conatur illud extinguere.*

§. 10. *Sodales vero, ſuis cordibus illud magis imprimunt.*

§. 11. *Nomẽ Ieſus, beata eſt portio.*

§. 1. Picturũ, libris, trophæis apponuntur nomina Pictorum, Auctorum &

CUm famoſus aliquis pictor, nobilem abſolvit picturam, addere ſolet ſuum nomen, v. g. Michael Angelus, Raphael Urbinas, invenit, delineavit, pinxit. Nobiliorem & perfectiorem non vidit mundus, quam fuerit imago Filii Dei pendentis in cruce; nomen Pictoris addidit Pilatus in Titulo Crucis: *Ieſus Nazarenus Rex Iudæo-*

Iudæorum. Idem faciant Auctores librorum, ut illis præfigant nomina ſua; *cum vero Vita Chriſti,* (Lud. Bloſius in ſpec. ſpir. c. 10.) *liber admodum præclarus ſit, doctis, perfectis atque imperfectis* (omnibus qui Deo placere cupiunt) *communis; adeo ut etiamſi omnes codices, qui in mundo ſunt, intercidiſſent, Vita & Paſſio Chriſti abunde Chriſtianis omnibus ſufficeret, ad virtutem omnem & veritatem perdiſcendam.* S. Th. de Villa N. exclamat Conc. 1. de Nat. Virg. *O præclaram ſcripturam! O pulcerrimum characterem, in quo tale latet verbum æternum! O ſcriptum egregium, quod omnibus mortalibus proponitur ad legendum, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei abſconditi.* Nomen Auctoris hujus libri toti mundo manifeſtavit Pilatus, in titulo crucis, *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.* Idem fecit S. Paulus 1. Cor. 2. *Non enim judicavi, me ſcire aliquid inter vos, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum.* Cũ poſt partam nobilem victoriam victorioſi milites ſuo Duci ſtatuunt & erigunt aliquod trophæum, vel columnam honoris, aut arcum triumphalem, non omittunt, ut inter nomina devictorum hoſtium, in capite vel initio legatur, omniumque oculos incurrat nomen Ducis & Victoris, à quo hoſtes ſubjugati ſunt, & prælio fuſi. Tale trophæum, talis columna, talis triumphalis arcus in monte Calvariæ fuit arbor SS. Crucis; ad hanc alligati gemunt hoſtes, Mors, Peccatum, Diabolus, Infernus; Nomen glorioſiſſimi Victoris & triumphatoris, Pilatus appoſuit, dum ſcripſit *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum,* & ſuper caput ejus in cruce appendi juſſit.

Ducum, ideo cruci affixum fuit nomen Ieſu.

1. Cor. 2. 2.

§. 2. Aliqui interpretes putant Iſaiam cap. 30. v. 8. fuiſſe locutum de tabula hujus tituli, ubi ait Propheta; *Scribe ei ſuper buxum, & in libro diligenter exara illud, & erit in die noviſſimo, in teſtimonium, uſque in æternum.* Super buxum, *quia eſt lignum imputribile,* ait S. Hier. ideo Gloſſa Interl. addit, *ut in perpetuum maneat.* Itaque in teſtimonium, & teſtimonium ſempiternum, etſi Chriſtus D. eſſet opprobrium hominum, etſi penderet in cruce inter latrones, rem ita dirigente Spiritu S. Pilatus ponendo ſuper caput ejus, glorioſiſſimum nomen

In quo ligno & quo colore fuerit ſcriptus Titulus Crucis.

Iſ. 30. v. 8.

JESUS

JESUS, toti mundo promulgavit, eundem eſſe Regem Regum & Domitorem potentiſſimorum hoſtium. Ob eandem cauſam, ut hic titulus eſſet ſignum glorioſum tanti Victoris, more antiquorum teſte Bloſio l.1. de triumphant. cruce. literæ ſive characteres in buxo deſcripti fuerunt colore rubro, qui erat color triumphalis.

§ 3. *Deus procuravit, ut poneretur hic titulus.*

Et hoc, quod glorioſiſſimum nomen JESUS, in quo omne genu flectitur, cœleſtium, terreſtrium & infernorum, triumphali & ſanguineo colore, à Pilato, ſuper caput Chriſti in cruce fuit affixum (teſte S.Remigio) *divinitus plane fuit procuratum, ut per hoc Iudæi agnoſcerent, quoniam, nec etiam occidendo facere potuerunt, ut eum Regem non haberent. Per mortis enim patibulum non amiſit imperium, ſed potius corroboravit. Pependit in cruce, ſimul tamen Regis Majeſtate radiavit.* S.Ambr.

§. 4. *Tam glorioſus & triumphalis.*

Glorioſiſſimum hoc nomen JESUS fuit, *Titulus triumphalis, pro belli victoria, titulus præconii & dignitatis; & titulus memorialis poſteris, ut videant & diſcernant, quem pupugerunt.* Impleta fuit Prophetia Iſaiæ c.19.v.19. *In die illa erit altare Domini*, id eſt, in ara crucis offeretur ſacrificium agni immaculati; *& titulus Domini erit in ſignum & in teſtimonium Domino exercituum, &c. & mittet eis Salvatorem, & propugnatorem qui liberet eos.* Venerabilis Beda in c.15.S.Marci, ait, *Quoniam Rex ſimul & Pontifex erat, cum Patri ſuæ carnis Hoſtiam in altari crucis offerret, Regis quoque, qua præditus erat, dignitatem titulo prætendit, ut cunctis legere, hoc eſt audire & credere volentibus, inſinuaret, quod per crucis patibulum meruerit tam glorioſum nomen IESVS, in quo ſolo nobis quoque eſt ſalus & victoria.*

§ 5. *Ideo diſplicuit Iudæis.*

Origenes ait, hoc nomen, ſive hunc titulum, caput Chriſti, *inſtar coronæ exornaſſe:* & proinde Judæis valde diſplicuit, & ſtantes juxta crucem, legentes hæc verba, murmurarunt dicendo inter ſe, qualis hic titulus, qui hominem, quem occidimus, non infamat, ſed glorioſum reddit. Qualis cauſa mortis, quod ſit Rex. Si Rex eſt; ergo vivat, non moriatur. Si Rex eſt, clamemus, vivat, vivat; non, tolle, tolle! Si Rex eſt, ſedeat in throno, non pendeat in patibulo. Si Rex eſt,

nos

nos ſumus rebelles. Si Rex eſt; ergo in omnibus, quæ fecimus, peccavimus contra leges Juſtitiæ. Sic eſt; proinde ut nolentes id agnoſcerent, Deus rem ita diſpoſuit, ut Pilatus judex, licet ſententiam mortis in innocentem tuliſſet, tamen ſimul pronuntiaret, illum eſſe Redemptorem mundi; glorioſiſſimo hoc titulo, *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.*

§. 6. *Hunc titulum cum nomine IESV, legavit nobis Chriſtus D. in ſuo teſtamento.*

Meminiſtis hauddubie, ſodales amantiſſimi, me hoc labente anno, propoſuiſſe vobis in decem Exhortationibus, decem Articulos Teſtamenti Jeſu Crucifixi; in Decimo, nobis legavit diviniſſimum ſuum cor; ut illud ornatius nobis offerret, ornavit non tantum purpureis roſis, precioſiſſimi ſui ſanguinis; ſed addidit, glorioſiſſimum nomen ſuum JESUS, quod in Articulo hoc nobis hæredibus tranſſcribit, cum Titulo crucis; ut illum cordibus noſtris includamus.

§. 7. *Et trahit ſecum divitem hæreditatem.*

Divitem hæreditatem hoc dulce nomen ſecum trahit; *nam facile intelligitis, quomodo multa bona ſit Ieſus* (ut Origenes loquitur præfat. in Joan.) *Vita bonum eſt, Ieſus eſt vita. Reſurrectio bonum eſt, Ieſus eſt reſurrectio; lux mundi bonum eſt, Ieſus eſt lux vera. Veritas, via, ſapientia, potentia; theſaurus denique bonorum omnium, Ieſus eſt.* De quo S. Paulus ad Gal. 6. *Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, in quo eſt ſalus, vita, & reſurrectio noſtra, per quam ſalvati & liberati ſumus.*

Galat. 6. v. 14.

§. 8. *Quare hoc nomen debeamus magni æſtimare.*

Hoc legatum, ſive dulciſſ. nomen Jeſus ideo magni debemus æſtimare & amare, quod mirum in modũ confortet morientes, cõtra infernales hoſtes; fuit vir devotus qui quotidie mane & veſpere, frontẽ hoc nomine ſignavit, & ore pronuntiavit cum magna devotione, ad obtinendam perfectam contritionem in articulo mortis, & obtinuit, in amplexu crucifixi, & pias inter lacrymas pie in Domino obdormivit.

§. 9. *Diabolus ob varias cauſas conatur illud extinguere.*

Ideo Diabolus, *metuens ac tremens ſanctam virtutem* (D. Ephr.) *Nominis Ieſu, tota id cura nititur extinguere.* Scit Satan, hoc nomen (S. Ambr. in pſ. 118. ſer. 8.) *nobis eſſe munificũ, & fructuoſum.* non ignorat, per illud (D. Hilar. can. 16.) *ſive in nuncupatione hujus nominis, infernas leges, & tartari portas, & omnia mortis clauſtra diſſolvi. Experientia didicit nequam Spiritus, quod invocato Ieſu nomine, præſertim in ultima lucta*

piiſſimus Salvator (Dion. Carth.) *afflictos miſericorditer intueatur, conſoletur, reficiat, & ſe illis fidum præbeat ducem ac comitem,* S. Ign. M. *Cognoſcit crucis confeſſionem, ſuum ipſius eſſe exitium.* Non fugit adverſarium noſtrum, veriſſimum eſſe illud S. Bern. *Bene dulce nomen!* quod nullus invocavit ſine magna utilitate: nam quæ major conſolatio, quam in dulci hoc vocabulo, in nomine hoc conſolatorio? Jam confidenter accedo, jam ſupplico fiducialiter. Quid enim timeam, quando Salvator Jeſus mihi adeſt Ob hæc & ſimilia, inquam, diabolus conatur in nobis extinguere, nomen JESU.

§. 10. *Sodales vero illud ſuis cordibus eo magis imprimunt.*

Sodales verò agoniæ, nituntur illud magna devotione imprimere cordibus ſuis; ut quaſi ſemper (D. Ephrem. hom. in 40 Martyres) & omni tempore dicamus ad miſericordiſſimum Dominum: JESU - in nomine tuo ſalva me: & mox emittet auxilium ſuum ab alto, addetque vires animabus noſtris. Hoc Daniel proclamans, in lacu, etiam ferarum agreſtium fauces effugit; Jonæ vita, in ventre ceti, ab omni interitu ſalvata fuit. Ex medio ardentis ignis ſanctiſſimum hoc nomen tres pueros liberavit. S. Ambr. in pſ. 118. Quid deeſſe poteſt viro; dicam ego, quid timere poteſt ille, *qui poteſt dicere; non contingat mihi gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Ex quibus varias colligere licet cauſas, ob quas Chriſtus D. moriens in cruce, cum precioſo ſuo ſanguine & vulneribus, cum morte ſua & diviniſſimo corde, titulum quoque crucis, ſive dulciſſimum nomen ſuum Jeſus in articulo undecimo ſui Teſtamenti nobis legare voluerit.

§. 11. *Nomen Ieſus beata eſt portio.*

Ob hoc legatum ex pſ. 118. dicere quivis ſodalis poteſt, *Portio mea* Jeſus. quo quid poteſt eſſe precioſius? ſors mea Jeſus eſt (S. Ambr.) *& in hac ſorte, & portione mea dives ſum:* in portione mea potens ſum: merito tales præſumo fructus iſtius portionis, ut ſalus & vita donetur; quia hoc eſt iſtius patrimonium portionis, quam elegit mihi.

TESTA-

Digitized by Google

TESTAMENTI JESU CRUCIFIXI

ARTICULUS XII.

Sive

EXHORTATIO XII.

PRO CONGREGATIONE AGONIÆ. MENSE DECEMBRI.

Et hoc illis à me teſtamentum.
Rom.11. v. 27.

SYNOPSIS EXHORTATIONIS.

IN Duodecimo & ultimo Articulo ſui Teſtamenti Jeſus crucifixus nobis legavit faſciculum myrrhæ, ſive inſtrumentorum ſuæ paſſionis; præſertim crucem, ſpineam coronam,& clavos.

§.1. *Faſciculus myrrhæ ſunt inſtrumenta paſſionis.*

§.2. *Elogia crucis, quæ S. Landradæ è cælo fuit miſſa.*

§.3. *At cruce gaudium & ſolatium in hora mortis. Experta id fuit S. Margareta.*

§.4. *Et S.Regina V.M.*

§.5. *Piæ revelationes de cruce factæ S.Gertrudi.*

§.6. *Mors impiorum eſt inquieta ob ſpinas malæ conſcientiæ.*

§.7. *Liberabit nos ab illis devotio erga ſpineam coronam quam cum cruce legavit nobis Chriſtus D.*

§.8. *Cum clavis, quibus fuit affixus cruci. Agonia comparatur cum tempeſtate.*

§.9. *Aliquorum devotio erga hos clavos.*

§.10. *Proſecutio.*

Digitized by Google

§. 1. *Faſciculus myrrhæ ſunt inſtrumenta paſſionis. Præſertim crux, ſpinea corona, & clavi. Cant. 1. 12.*

VErba illa ſponſæ Cant. *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi; inter ubera mea commorabitur*, pie nobis exponit pictura vel imago S. Bernardi, in qua, inſtrumenta paſſionis, crucem, clavos, lanceam, ſpineam coronam, & flagra, in unum collecta faſciculum ſuavi ſtringit amplexu, & cum ſponſa ait, *inter ubera mea commorabitur:* id eſt, in corde meo ſemper ero memor, illius doloris, quem inſtrumenta tam atrocia Chriſto D. cauſarunt. Quamprimum cadaver Chriſti de cruce depoſiti, tumulo illatũ fuit, in monte Calvariæ, B. Virgo, S. Joannes, Magdalena, aliæque devotæ fœminæ redierunt ad crucem, & ſpinas, clavos, aliaq; talia inſtrumenta candidis involuta velis tulerunt domum, crucem ſepelierunt in terra. Tria præcipua, crucem, ſpineam coronem, & clavos, nobis in ſuo Teſtamento reliquit, Chriſtus D. ob cauſas plane peculiares.

§. 2. *Elogia crucis, quæ S. Landradæ è cœlo fuit miſſa.*

S. Landradæ Virgini in ſolitudine, in antro pœnitentiæ, cœleſtia inter gaudia, cœleſtis ſponſus Chriſtus D. precioſam è cœlo miſit crucem, per angelum qui ita illam affatus fuit: Accipe Landrada, ab immortali ſponſo charitatis arrhã. Ipſe crucis tibi mittit ſponſalia, qui in cruce moriens, univerſa reſtauravit; amatoris tui hæc ſunt munera. Scito crucem omnẽ, eſſe cœleſtis amoris donum, atq; mnemoſynon piis omnibus. Amici crucis Chriſti accipiunt illud regnum, quod cruce nobis emit Jeſus. In hunc fere ſenſum ſonat ultimus ſive duodecimus Articulus Teſtamenti Jeſu Crucifixi. Accipite ſodales ab immortali ſponſo, infiniti illius erga nos amoris arrham. Ipſe in cruce moriens crucis vobis offert ſponſalia. Amatoris veſtri hæc ſunt munera, crux, clavi, ſpinæ, lancea, virgæ, flagra! Scitote omnem crucẽ eſſe amoris donum. Cruce, emere poteſtis ſanctam mortem, & regnum cœlorum. A cruce gaudium, pax & lætitia, quæ piis etiam mortem reddunt ſuavem.

§. 3. *A cruce gaudium, & ſolatium in hora*

S. Marina Virgo, vel S. Margareta dæmonem in forma terribilis draconis, fugavit ſigno S. Crucis; inter graviſſima tormenta, quæ pro Chriſto fuit paſſa, vidit in cœlo ſplendidiſſimam crucem, cui inſedit columba, cujus aſpectus ipſam mire recre-

recreavit,& ab eadem denique de cruce devolante capiti S. Margaritæ impoſita fuit pulcerrima corona, toto populo audiente hanc cœleſtem vocem, *Marina, accepta corona incorruptionis requieſce in ſæcula*; Ipſe Chriſtus D. inter choros Angelorum tandem illi aſtitit, & dixit, *Exaudivi preces tuas, quaq; petiiſti implebo*: & à carnifice, capite fuit truncata. Et nobis inter anguſtias mortis, in ſuprema lucta aderit infernalis draco; ſed ne timeatis ſodales amantiſſimi; Jeſus Crucifixus ſanguineam ſuam nobis offert crucem; quam ſi abſconderimus in cordibus noſtris, non deerit cœleſtis columba Sp.S. qui nos recreabit. Aderunt ſancti Angeli, qui ſpe coronæ cœleſtis gloriæ nos confortabunt, & Chriſtus Jeſus exaudiet nos; quæcunq; tam, frequenter, tam ardenter recitatione Roſarii quinq; vulnerũ petivimus, adimplebit. In pignus & arrham in ſuo teſtamento moriens in cruce, ſanctiſſimam ſuam crucem nobis legavit.

mortis. Experta id fuit S. Margareta.

§. 4. Et S. Regina V. M.

S. Regina Virgo & Martyr, inter graviſſima tormenta equulei & ignium, cum moneretur, ut Chriſtum negaret, generoſe reſpondit, *Non! Chriſtum Ieſum, qui me confortat habeo*. Reducta ad carcerem, inter ardentes preces vidit crucem, & cœleſtes has voces audivit; *Ave Regina, unguentum ſuave, eſt oratio tua. Parata eſt tibi corona gloriæ; apertus eſt tibi paradiſus*; dum à columba florida ornaretur corona, accinuere angeli; *Veni Regina in requiem Chriſti, beata es, quæ hanc coronam meruiſti*. Sodales mei! nolite timere aſſultus & tentationes, quibus diabolus morientes oppugnat, Jeſus Crucifixus vult eſſe nobiſcum: in arrham habemus ſanctiſſimam ejus crucem, ipſa nos confortabit: ſancti Angeli, monſtrabunt nobis coronam gloriæ, aperietur nobis paradiſus, intrabimus in requiẽ Chriſti; ſed modo de duobus ſimus ſolliciti. 1. Ut noſtra oratio ſit ſuave unguentum. 2. ut amemus ſanctiſſimam crucem.

§. 5. Piæ revelationes de cruce, factæ S. Gertrudi.

S. Gertrudi revelatum fuit; dilectis à Jeſu, immitti cruces, ex ſpeciali amore. 2. Illis, quos cupit ſibi eſſe familiares. 3. habituram ſe aliquando in cœlis, pro ſingulis doloris momentis in corpore, millies mille annos cœleſtium deliciarum in æternitate. Itaque Duodecimus Articulus

Digitized by Google

Teſtamenti Jeſu Crucifixi ſic habet. Sodales meæ agoniæ, vos eſtis dilecti mei; ideo ex ſpeciali amore dono, tranſſcribo & relinquo vobis crucem meam. Vos cupio, ut ſitis mei familiares, ut diu noctuque ſanctis cogitationibus mihi adhæreatis,ut viaticis in me & ego in vobis;itaque accipite donum mei amoris SS.Crucem. Delicias in Paradiſo vobis paravi ineffabiles, per S. mortem aperiam vobis Paradiſum,ſed ecce clavim! meam crucem.

§.6. Mors impiorum eſt inquieta ob ſpinas malæ conſcientiæ. Jud.8. v.7. Pſ.31. v.4.

Liberaliſſimus teſtator noſter, Chriſtus in cruce moriens,ſuæ cruci, addidit ſpineam coronam. Dolores morientis impii ita declarat vindex Dei Juſtitia & Ira Judicum cap.8. *Conteram carnes veſtras ſpinis*; Pœnitens David ita illas ſenſit, ut exclamarit pſ 31. *Converſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina*! ita vocat remorſum lancinantis conſcientiæ. Quid fiet in agone impii? Iſaias cum c.7. Judæis minari voluit deſertionem à Deo & graviſſimam afflictionem, minatus illis fuit novaculas, ſpinas, vepres, ſagittas arcus, terrorem tribulorum & urticarum. Has v.g.ſenſit impius Antiochus in ſua morte &c.

§.7. Liberabit nos ab illis devotio erga ſpineam coronam, quam cum cruce nobis legavit Chriſtus D.

Sed non eſt quod mei ſodales timeant talem mortem, ſi faciant quod ex tenerrima devotione,fecit Maria Auſtriaca filia Caroli V. uxor Maximiliani II. Imper. Pro ſymbolo juſſit depingi circulum ſpineæ coronæ, & in medio circuli quinque ſigna Vulnerum Salvatoris, cum hoc lemmate, *Hoc ſola ſpes mea*. Quoties devotiſſima Imperatrix, in precioſa gemma, quam in pectore geſtabat aſpexit, memor fuit ſpineæ coronæ, inter cujus immanes dolores, quos cauſavit Chriſtus D. in cruce exſpiravit. B. Angela de Fuligno, quoties effigiem Chriſti ſpinis coronati aſpexit, incidit in quoddam deliquium, doloris & amoris. B.Ritæ ex Ord S.Auguſt. Cœleſtis ſponſus illum exhibuit favorem, ut unam ſpinam ex corona,cum lucidiſſimo quodam radio infixerit ejus fronti, cum immani dolore,& vulnere,quod nunquam ſanari potuit. Sodales amantiſſimi, exemplo Chriſti in hoc mundo coronemus nos ſpinis; ideo ſpineam nobis legavit coronam, ut de-

ut deinde ſimus hæredes coronæ, gloriæ immarceſſibilis. Vertamus corda noſtra in gemmas, inſculpamus ſpineam Chriſti coronam, cum quinque vulneribus; & dicamus ſine timore: hæc ſunt ſpes noſtra.

Faſciculus myrrhæ, continet quoque clavos, quibus Chriſtus D. affixus fuit cruci; & proinde pertinent ad legatum hujus duodecimi Articuli, in quo, etiam illos Chriſtus D. nobis, velut magnum donum offert; veniet enim tempus, quo nobis valde proderunt. Regina & Imperatrix Helena, cum ex terra ſancta cum cruce Chriſti & clavis rediret, in mari ingenti fuit jactata tempeſtate; provida, itaque (ut refert S. Gregorius Turonenſis de gloria Martyrum c. 6.) & condolens excidio miſerorum unum ex quatuor clavis deponi jubet in pelagus; confiſa de Domini miſericordia, quod ſævas fluctuum commotiones facile poſſet opprimere. Quo facto redditur mare quietum, tranquillaque deinceps navigantibus flabra aſpirarunt. De ſceleratis hominibus dicit Iſaias c. 57. *Impii quaſi mare fervens, quod quieſcere non poteſt*; Vatablus. *Impii inſtar Euripi fremunt, qui neſcit quieſcere, cum aquæ ejus limo & luto turbantur.* Qualis itaque tempeſtas quales fluctus, quam horribiles undæ exagitabunt morientis impii conſcientiam; quam inquietum reddent hoc mare tentationes & inſultus dæmonum! Providi & laudandi ſunt illi ſodales, qui peculiari devotione feruntur erga clavos crucifixi; illorum memoria facile ſedabitur omnis illa tempeſtas, quam diabolus contra nos concitabit.

§. 8. *Cum clavis, quibus fuit affixus cruci. Agonia comparatur tempeſtati.*

Iſ. 57. v. 20

De S. Pacomio ait ejus vita: ſuper ſpinas nudis pedibus incedebat: & cum infigerentur ei plurimæ, lætabatur patienter ac fortiter ferens, recolens, quod Dominus noſter in cruce clavis fuerit affixus. Primum ego non peto à meis ſodalibus, ut ambulent ſuper ſpinas; ſed alterum, ut quamvis tribulationem ferant patienter; memores doloris, quem Chriſtus D. in trihorio crucis, inter anguſtias mortis ob clavos in manibus & pedibus pertulit. Hæc memoria in agone magno nobis erit ſolatio.

§. 9. *Aliquorum devotio erga hos clavos.*

P. Ga-

Digitized by Google

§. 10. *Proſecutio.* P. Gabriel de Aſſumpt. Diſcalceatus ex Ordine S. Thereſiæ; inter graviſſimos dolores fuit ſolitus dicere; *Cum conſidero Chriſtum nudum pendentem in cruce, & clavis illi affixum; exigui mihi videntur mei dolores.* Alius Religioſus dixit, *Quis ridebit?* (multo magis, quis peccabit?) *ſi oculos conjiciat in clavos, quibus Filius Dei affixus fuit cruci.* Ut contemplaretur aſſidue ſemper de pectore geſtabat imaginem Chriſti Crucifixi. Similes devotiones ſuadeo meis ſodalibus; ut gratis animis acceptent tam precioſa dona ex Teſtamento Jeſu Crucifixi, ut ament ejus crucem, ſpinas & clavos; & promitto illis ſanctam mortem, & poſt hanc felicem æternitatem. Amen. Jeſu Crucifixo ſit honor & gloria.

FINIS

BIBL. A NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google